tri in Cœlos Aſcenſione ad hoc uſque ſæculum Eccleſiam invaſerunt, congeſsi contra illas omnes ſingulatim diſputans, illarumque omnium primos Duces, atque parentes prodens: ut vel ſi omnibus palam facerem, recentes hæreticos à ſecibus olim ab Eccleſia rejectis, ſuas hæreſes hauſiſſe. Verum & ſi ab his omnibus, aliiſque multis doctiſsimis viris tam dextre pugnatum ſit, ut plane, & aperte, de his Eccleſiæ hoſtibus triumphaverint, numquam tamen hi reſipuerunt, aut inſanire deſierunt. Quoniam tanta eſt illorum obſtinata impudentia, & impudens obſtinatio, ut quamvis aperte victi, nunquam tamen cedere voluerint, imo potius duriores inde effecti, & in ſua ſententia pertinaciores inſaniam ſuam indies auxerunt, tam novas, tamque diverſas quotidie inducendo doctrinas, ut nihil aliud illos excogitare merito credamus, quam quomodo eorum quilibet plus poſsit Eccleſiæ nocere. Nam & ſi inter illos ſæpe (ut ſolemne ſemper fuit hæreticis) de doctrina non conveniat, adeo ut plus alter eorum ab altero diſtet, quam uterque illorum ab Eccleſia: de hac tamen re inter eos omnes convenit, & hæc amicitiæ inter eos ineundæ potiſsima cauſa, & partæ amicitiæ fortiſsimum vinculum, ſi ſummo Eccleſiæ præſidi ſimul omnes detrahant, illius poteſtatem enervent, illius mandatis reluctentur. Iſti ſunt vere ſerpentes illi, quos Deus per Hieremiam Prophetam cap. 8. minatus eſt ſe nobis miſſurum, quibus (ut ille ait) non eſt incantatio. Nam furor iſtis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantis, & venefici incantantis ſapienter. Cum itaque re ipſa mihi jam bene compertum eſſet, nihil iſtis blanda prodeſſe fomenta, neceſſarium eſſe cenſui acerbioribus uti medicaminibus, ut jam non verbis: ſed fuſtibus, & flagellis, & gladiis contra illos ageretur, ut pœna illos faceret ſapientiores, qui benignitate illis exhibita abutentes in ſua hactenus perſtitere inſipientia, & vexatio daret illis intellectum, quem nimia manſuetudo præſtare non potuit. Hanc tamen vexationem hæretici formidantes, ut ſe ab illa eripere valerent, aſtutia ſerpentina, docuerunt illicitam eſſe hæreticorum punitionem, tyrannoſque potius quam Reges eſſe dixerunt eos, qui hæreticos puniunt, aut pœnis, & cruciatibus illos ad fidem tenendam cogunt. Hac enim via putarunt Chriſtianorum Principum animos ab ipſorum punitione deterrere, & prorſus revocare: ut, vel ſic impetrata, aut potius extorta impunitate, liberius quotquot vellent, poſſent verbis, & ſcripturis hæreſis docere. Hac igitur cauſa ego motus de pœnis, quæ hæreticis merito debentur, longo tractatu in hoc opere diſſerere ſtatui, ut Principes Chriſtiani de hæreticorum punitione bene perſuaſi, nullam illarum pœnarum, quas jura contra hæreticos decernunt prætermitti patiantur, quin illam pertinacibus quibuſcumque hæreticis, & obſtinatis infligere jubeant: ut pœnarum metu illi coerceantur, ne ſimiles novitates, & inſanias effutire audeant, & ſic tandem à ſuis erroribus reſipiſcant. Et ſi forte illi (quod Deus pro ſua clementia, avertere dignetur) Pharaonem imitantes (tamquam malleatoris incus) indurati fuerint: alii tamen (ut credere par eſt) alieno periculo ſapientiores erunt. Hoc autem opus, quod jam, Deo auctore, ad umbilicum uſque perduxi, tibi ſoli, Chriſtianiſsime Cæſar, merito dicandum eſſe cenſui, qui tam ferventem habes fidei Catholicæ zelum à majoribus tuis veluti hæreditario jure derivatum: ut pro fide tuenda, aut propaganda nullos unquam recuſaveris quantumlibet duros, & immenſos ſubire labores. Nam ab eo tempore, quo primùm Imperatorum celſitudo Chriſti ſe ſubdidit humilitati, & ab illo nomen accepit, nullus unquam fuit Imperator (abſit precor verbo adulationis ſuſpicio) qui pro Chriſtianæ Religionis tutela, & dilatione tot, tantiſque ſe objecerit laboribus, etiam ſi Carolus ille vere Magnus, cui tu & ſanguine, & patrimonio, & dignitate, & nomine ſuccedis, inter eos recenſeatur. Plures enim, quam ille provincias pro Religione tuenda penetraſti, multo pluries maris pericula ob eamdem cauſam non ſolum tentaſti, ſed ſubiiſti. Hoſtibus Chriſtianæ Religionis multo fortioribus occurriſti, quam ille umquam fecit. Per tot varios caſus, & per tot rerum diſcrimina, pro Chriſtianæ Religionis tutela intrepidus pervagaſti, ut Herculem illum (quem poetæ monſtrorum domitorum finxerunt) multis paraſangis antecedere mihi videaris: præſertim quum tu ad domanda ea monſtra, quæ animas trucidare ſolent, illos pertuleris labores, quos pro domandis illis, quæ ſolis corporibus nocere poterant, Herculem toleraſſe Gentiles falſo dixerunt.

Hoc ſolum in te, & tuis meritis deſiderari poſſe conſidero, ut geſtorum tuorum parem ſcriptorem haberes, qui digna factis tuis referre valeret, & illorum gloriam poſteris ſuaviſsime decantaret. Talem, inquam, qualem immerito habuerunt Achilles, & Uliſſes: aut talem certe ſcriptorem, qualem Alexander ille cognomento magnus ad ſui corporis imaginem exprimendam elegit pictorem. Juſtum quippe eſſet, ut tantorum geſtorum tuorum imago non niſi ab eloquentiſsimo Poeta, aut Oratore depingeretur. Omitto hic Turcam potentiſſimum, atque ferociſsimum Chriſtiani nominis hoſtem à te apud Viennam glorioſe fugatum, & Tunetum à te ſub ferventiſsimis ſolis ardoribus expugnatum, & à manibus Barbaroſſæ potentiſsimi tyranni ereptum, aliaſque multas de Turcis, & Sarracenis terra, & mari per Duces tuos habitas victorias.

Ea ſolum, quæ pro hæreticorum reductione, ut eos ad reſipiſcentiam, aut alliceres, aut cogeres, patientiſsime toleraſti, tot, ac tanta ſunt, ut immortalem per illa ſis jam apud poſteros gloriam aſſecutus, & perpetuam à Deo ſis tandem accepturus coronam. Sæpe enim relicta Chriſtianiſsima Imperatrice conjuge tua, quæ tibi chariſsima erat, relicto etiam Hiſpaniarum potentiſsimo Regno, quod ipſa conjuge, & filiis multo charius eſſe oportebat, per horrendas maris tempeſtates, & aſperrima montium itinera Germaniam adiiſti, ut magnam illius partem, quæ ab Eccleſiæ unitate ſe ſubtraxerat, eidem reconciliares. Qua in re illum verum paſtorem optime expreſsiſti, atque effigiaſti, qui nonaginta novem oves, quas paſcendas ſuſceperat, in deſerto reliquit, ut centeſimam, quæ perierat, inveniret. Sæpiſſime pro diſsidiis Religionis componendis, quæ plurima ubique in Germania ſcatebant, Comitia, quæ nunc Dietam vocant, ex tota illa inclyta natione celebraſti: bis, aut ter Uvormatiæ, bis etiam Auguſtæ, totidem Ratiſponæ, & neſcio an pluries Spiræ. In his omnibus vere Chriſtianum agens Imperatorem, aliquando illos arguiſti: ſæpe, juxta Pauli Conſilium, obſecraſti, aliquando cum maxima modeſtia corripuiſti, ſperans, ut aliquando Deus illis pœnitentiam daret, & ſic illi reſipiſcerent, à laqueis diaboli, à quo captivi tenebantur. Tam modeſtum quidem te illis tribuiſti, ut multis viſus fueris nonnihil tuæ Imperiali celſitudini, pro illis recuperandis, detraxiſſe.

Sed

Sed qui hoc tibi, Chriſtianiſsime Cæſar, exprobrabant, non attendebant quanta ſint toleranda, ut errabunda ovis inveniatur, & ad gregem, unde neſcia diſceſſerat, reducatur. Verum hi, pro quibus tu illorum ſaluti conſulere optans, tot tantaque perpeſſus es, ut nihil, quod Chriſtianum Principem deceret, omiſiſſe videaris, beneficium non agnoverunt: ſed benignitate tua abutentes, in pejus quotidie profecerunt. Nam qui antea ſolam Eccleſiæ poteſtatem negabant, & ſolum illius jugum, quod diu antea portaverant, à ſe excuſſerant, poſtmodum ad tantam rebellionem proruperunt, ut tibi ipſi de illis optime merito, & cui ſe firmiſsimo Sacramento, ad obedientiam obſtrinxerant, tam impudenter pro multis aliis rebus, & pro Chriſtiana potiſsimum Religione multi ex illis rebellarunt, ut non ſint veriti adverſus tuam Imperialem Majeſtatem exercitum cogere, & te ad publicum certamen provocare. Hanc autem tantam ferociſsimæ gentis rebellionem, tanta prudentia, & fortitudine repreſſiſti, ut glorioſum de illis omnibus ſis aſſequutus ſine ſanguine Triumphum. Illa enim & ſemper apud omnes fuit glorioſior, & celebrior habita victoria, quæ fuit minus cruenta. Optimam igitur perpetuaque laude dignam, invictiſsime Cæſar, adeptus es nunc de hoſtibus victoriam, qui primis hujus rebellionis Ducibus vi, & armis captis, reliquos omnes, ut præteritæ conjurationis veniam ſupplices peterent, & juſsioni tuæ humiles parerent, ſine ſanguinis effuſione coegiſti. Reliquum eſt, ut illos omnes ad gregem Dominicum unde diſceſſerant, redire, & jugum Eccleſiaſticæ obedientiæ, quod diu ante rejecerant, ſubire cogas: & pœnis urgentibus illos in ſuſcepta ſemel fide perpetuo contineas, prout Hiſpanos gentem non minus liberam, atque ferocem in tua obedientia, & vera fide Catholica hactenus ſervaſti. Precor tamen Cæſaream Majeſtatem tuam, ut hæc non ideo à me dicta eſſe putes, ut meis adhortationibus te quaſi nolentem trahere velim: ſed ut ultro currenti calcaria addam. Ut autem hoc, quod optamus, facile præſtare poſsis, nobis omnibus incumbit Deum precibus ſolicitare, ut te diu incolumem ſervet, tuiſque ſanctis conatibus, ut hactenus fecit, ſemper faveat. Vale Chriſtianiſsime Cæſar, & ut meum hunc laborem boni conſulas, oro. Ex tua Salamantica, decima octava die Octobris Anno Domini. M. D. XLVII.

F. ALFONSI A CASTRO ZAMORENS. ORDINIS MINORUM de Obſervantia, in tres libros, quos de juſta Hæreticorum punitione edidit.

PRÆFATIO.

VAriæ, ſunt & ex diametro pugnantes de Hæreticorum Punitione ab aliquibus datæ cenſuræ, quibus, & ſi extremæ illæ ſint, & longiſsime ab æquitate recedentes: Patroni tamen non deſunt, qui nunc illarum ultro ſuſcipiant tutelam, & illis pertinaciſsime favere conentur. Sunt enim aliqui multum de Phariſæorum ſupercilio habentes, adeo moroſi & intractabiles, ut hæreticos omnes irreconciliabili odio, & ſine ulla punitionis lenitate perſequendos eſſe cenſeant. Cum aliquem in hæreſim lapſum eſſe cœperint, mirum in modum lætantur, ſicut exultant victores (capta præda) quando dividunt ſpolia, & ilico impotenti quodam furore agitati, mille in illum conjiciunt convitia, mille illi in faciem dicunt contumelias, & tandem citiſsime illum igni tradendum eſſe decernunt. Hoc enim hæreticorum odio, quaſi quodam certiſsimo, & indubitato Symbolo ſe Fidei Catholicæ ardentiſsimos zelatores, propugnatoreſque conſtantiſsimos aliis oſtendere conantur: tamquam ſi fides Chriſtiana ſecum neceſſario connexum haberet furorem, & omnem prorſus à ſe rejiceret manſuetudinem, & correctionis lenitatem. Ut tamen hos, qui non uſquequaque à vera juſtitiæ regula aberrant, aliqua ex parte conſolari poſsint, fateor quidem illos zelum fidei Catholicæ habere: veruntamen non ſecundum ſcientiam illum moderantur, atque temperant. Quia volentes juſtitiam ſuam ſtatuere, juſtitiæ Dei obliviſcuntur. Nam juſtitia Dei, quam Paulus docet, (1. *Tim.* 2.) eſt ut cum modeſtia corripiantur ii, qui reſiſtunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, & reciſpiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Bonum quidem rectorem decet, ut ex ſua infirmitate aliorum infirmitates penſans, magis per humilitatis, & manſuetudinis lenimentum ſtudeat errantes ab erroris laqueo eripere, quam per auſteritatem in foveam perditionis propellere. Sævus quidem, & plus ſatis acerbus merito cenſebitur chyrurgus, qui nulla prorſus adhibita fomentorum lenitate, nulliſque aliis tentatis remediis omnia vulnera aduſtionibus curare niteretur. Nam prius blanda oportet adhibere vulneri medicamenta, & experiri an ullis poſsit vulnus lenibus ſanari fomentis, quæ cum nihil proficere poſſe ex re ipſa intellexerit: tunc bonum erit acerbioribus uti medicamentis, & partem illam infectam, ſi res deſperata fuerit, reſecare: ne virus ipſum in reliquas corporis partes graſſetur, & ſic totum corpus inficiat & perdat. Hoc exemplum imitantes ii, penes quos eſt jus & poteſtas de Hæreticorum punitione cenſendi, deberent prius eorum, qui in hæreſim lapſi ſunt læſas ſanare conſcientias, ſerpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abſcindere: tandem (quod ſanari non poſſet) cum dolore reſecare. Qui hæreticos primo congreſſu contumeliis afficiunt, & nullis prius tentatis remediis, quibus illos ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reducere poſsint, ſtatim è vita tollendos eſſe decernunt: non ſanare, ſed occidere optant. Hos enim redarguit Deus per Ezechielem Prophetam cap. 34. dicens: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis.* Sunt rurſus alii prorſus contrariam docentes ſententiam, qui nequaquam pati poſſunt, ut hæretici quantumlibet pertinaces pœna aliqua puniantur: & ob eam cauſam, Catholicam Eccleſiam nigro carbone notant, quod varia pœnarum genera hujuſmodi hæreticis contra jus, faſque (ut ajunt) decretis æditis illa ſtatuerit. Reges, ac cæteros Chriſtiani Orbis Principes, propterea quod Hæreticos puniunt, & verberibus

voluntatem credamus, ita, ut voluntas tale opus non voluiſſet, niſi intellectus illi bonum eſſe perſuaſiſſet. In his ergo vehementiſsima hæreſis ſuſpicio ex opere exterius facto juſte oriri poteſt, ita ut qui talia facit, merito præſumatur credere hoc bonum eſſe, quod facit. Nam Ariſtoteles Ethicorum tertio ait: *Qualis eſt unuſquiſque, talia dicit, & operatur.* Deinde additum eſt in definitione hæreſis, quod oportet talem propoſitionem falſam eſſe fidei Catholicæ repugnantem, ut hæreſis dici poſsit. Nam multæ ſunt propoſitiones falſæ, quæ nullo modo hæreſes dici merentur: quia nullo modo fidem oppugnant. Sicut enim non omnis veritas ad fidem pertinet: ita nec omnis falſitas aut error hæreſis dici meretur. Poteſt enim quis multis propoſitionibus falſis cum errore, & ſine peccato aſſentire. Hæreſi autem ſine peccato, & quidem gravi, nullus obſtinato animo adhærere poteſt. Non ergo omnis aſſertio falſa, aut omnis error eſt hæreſis dicendus. Hæc omnia teſtimonio Auguſtini probantur, qui in Enchiridio ad Laurentium cap. 21. Poſtquam dixerat nullum eſſe peccatum in quibuſdam rebus errare, hæc, quæ ſequuntur, ſubjunxit. „ Poſtremo qualecumque illud, & quantumcumque ſit, ad illam viam non pertinet, qua imas ad Deum, quæ via fides eſt Chriſti, quæ per dilectionem operatur.“ Neque enim ab hac via deviabat in geminis filiis gratus ille parentibus error, aut ab hac via deviabat Apoſtolus Petrus, (*Act.* 12.) quando ſe exiſtimans viſum videre: aliud pro alio ſic putabat, ut à corporum imaginibus, in quibus ſe eſſe arbitrabatur, vera in quibus erat corpora, non dignoſceret: niſi cum ab illo Angelus, per quem fuerat liberatus, abſceſsit. Aut ab hac via deviabat Jacob Patriarcha, quando viventem filium à beſtia credebat occiſum. (*Gen.* 37.) In his, atque hujuſmodi falſitatibus, ſalva fide, quæ in nobis eſt, fallimur: & via non relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus. Qui errores etiam ſi peccata non ſunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi ſunt, quæ ita ſubjecta eſt vanitati, ut approbentur hic falſa pro veris, reſpuantur vera pro falſis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide abſint, per quam ad veram, certamque, atque æternam beatitudinem tendimus, ab ea tamen miſeria non abſunt, in qua adhuc ſumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo, vel animi, vel corporis ſenſu, ſi jam vera illa atque perfecta fœlicitate frueremur. Hactenus Auguſtinus. Ex his ſatis clare patet non omnem aſſertionem falſam eſſe hæreſim dicendam. Si tamen illa fidei Catholicæ repugnaverit, nos omnem talem dicimus eſſe de hæreſi notandum. Scio tamen aliquos, qui plura eſſe neceſſaria dicunt, ut aſſertio aliqua hæreſis dici mereatur. Sunt enim aliqui docentes omnia illa ad hæreſim requiri, quæ requiruntur ad hominem hæreticum efficiendum. Et certe qui hæc aſſerunt, tota errant via. Quoniam unum ab altero facillime ſeparatur. Poſsibile eſt enim, ut aliquis propoſitionem hæreticam aſſerat, qui tamen non ſit hæreticus dicendus. Hoc ita eſſe, manifeſte apparet in illo, qui non obſtinato animo talem propoſitionem aſſeruerit, & in illo, qui aſſerit, quod ignorat, præſertim ſi illud ſcire non tenebatur. Hunc enim ignorantia excuſabit, ut hæreticus non dicatur. Propoſitio autem ab illo aſſerta, non video qua via poſsit ab hæreſis nota liberari: ſi illam fidei Catholicæ repugnare conſtiterit. Nam quod aliqui dicunt nullam aſſertionem eſſe de hæreſi notandam, niſi illa ſit contra propoſitionem Catholicam, quam omnes fideles ſcire tenentur, ridiculum videtur, & audaci temeritate dictum, quoniam hac ſola ratione impetunt omnes egregios doctores, & Sanctos viros, qui de hæreſibus ſcripſerunt, ut fuerunt, Irenæus, Auguſtinus, Philaſter. Hi enim multos errores hæreſeos nota infamarunt, qui juxta iſtorum opinionem nihil minus dici merebantur, cum non eſſent contra propoſitiones Catholicas, quas omnes ſcire tenentur. Præterea, licet ſint multæ propoſitiones ad fidem Catholicam pertinentes, quas non omnes ſcire tenentur, ſi tamen illas præter obligationem quis ſciat eſſe Catholicas, & ſciens illis diſſentiat, & contrarias aut contradictorias aſſerat: nullus dubitat quin tales contradictoriæ ſint hæreſes dicendæ, & tamen illæ non ſunt contra propoſitiones Catholicas, quas omnes ſcire tenentur. Et ſi quis Chriſtianus ſciens, & doctus illas tales contradictorias pertinaciter aſſereret, merito hæreticus diceretur. Idiota vero illis aſſentiens, & ſi erraret, non tamen hæreticus diceretur, immo nec peccaret, ſi pertinacia deeſſet, quia in his, quæ ſcire non tenebatur, erraret. Ut gratia exempli, ſi quis doctus vir Chriſtianus ſciens contrarium in ſacris libris contineri pertinaciter aſſereret Eſau non fuiſſe filium Iſaac, aut Davidem non genuiſſe Salomonem, abſque dubio hæreticus diceretur, & non ob aliam cauſam: niſi quia hæreſim obſtinato animo aſſerit. Si vero homo ſimplex, & idiota aliquam iſtarum aſſereret, quamvis ille ob hoc non dicetur hæreticus, immo nec peccaſſe cenſebitur, tamen ab illo aſſerta propoſitio ſemper dicetur hæretica. Alioqui oporteret concedere eamdem propoſitionem ab aliquo aſſertam eſſe dicendam hæreſim, quæ ſi ab alio aſſereretur, hæreſis dici non mereretur. Hoc autem concedere, quam ſit erroneum, vel mediocriter docto erit manifeſtum, ſi conſideret, quod propoſitio non dependet ab aſſertore, ut talis aut talis dicatur. Propter noſtrum affirmare, aut negare (inquit Ariſtoteles) nihil mutatur in re. Si propoſitio eſt vera à quocumque dicatur, etiam ſi mendaciſsimus ille ſit, ſemper erit vera. Si propoſitio eſt falſa, à quocumque dicatur, etiam ſi alias ille ſemper fuiſſet verax inventus, erit falſa. Oportet ergo, ut ſi propoſitio eſt hæretica, à quocumque aſſeratur, ſit etiam ſemper hæretica. Deinde, propoſitio Catholica non pendet ab aſſertore, ut talis dici mereatur: ergo nec propoſitio hæretica ab aſſertore pendebit, ut hæreſis dicatur. Hæc propoſitio: Deus eſt trinus, & unus: ſive illam aſſerat Judæus, ſive Sarracenus, ſive Paganus, ſive Chriſtianus, ſemper dicetur Catholica: ergo ſua contradictoria videlicet: Deus non eſt trinus, & unus, à quocumque dicatur, ſemper erit hæretica, quamvis non omnis, qui illam aſſerit, ſit neceſſario dicendus hæreticus: quoniam (ut poſtea docebimus) non ſatis eſt, ut quis dici hæreticus mereatur, quod propoſitionem aſſerat hæreticam. Rurſum hæreſis non deducitur ab hæretico: ſed hæreticus verſa vice ab hæreſi derivatur: non igitur oportet, ut propoſitio, quæ hæreſis eſt dicenda, ſit ab hæretico aſſerta, ſed bene contra oportet, ut qui hæreticus eſt dicendus, propoſitionem aſſerat hæreticam. Ex his igitur conſtat errare illos, qui dicunt ad hoc, ut propoſitio aliqua dicatur hæreſis, eſſe ſumme neceſſarium, ut à viro Chriſtiano ſit aſſerta. Bene tamen nos fatemur hoc eſſe neceſſarium ad hoc, ut quis hæreticus dici mereatur, quod fidem in baptiſmo ſuſceperit: quia hæreticus (ut diximus) ab hæreſi derivatur: non autem hæreſis ab hæretico: & homo ab aſſertione, & confeſsione ſua, nomen ſuſcipit: ut fidelis, vel hæreticus dicatur. Propoſitio autem nullo modo ab aſſertore dependet, ut illa hæretica, vel Catholica merito dici poſsit. Et propter hanc cauſam, à multis doctis vitis erratum eſt in hac parte: quia hoc conſiderare neglexerunt. Nam quæ pertinent ad hæreſim, & quæ hæretico conveniunt, ſimul in unum confuderunt, tamquam eadem eſſet utriuſque definitio, & eadem habenda eſſet de utraque re diſputatio. Nos tamen rem (ut decebat) magis ſcrutantes, & inveſtigantes, cum res eſſe prorſus diverſas cognoverimus, diverſas de illis diſputationes facimus. Nunc de hæreſi diximus, poſtea autem de hæretico tractabimus: ut quis tali nomine appellandus ſit, oſtendamus. Ut igitur ea, quæ de hæreſi diximus, in compendium colligamus: Dicimus hæreſim eſſe propoſitionem falſam, fidei Catholicæ repugnantem.

CAPUT II.

De malitia hæreſeos quanta ſit.

Quanta ſit hæreſeos malitia, ex eo facile quiſque intelligere poteſt: ſi conſideret quanta ſit fidei bonitas & virtus. Rectum enim (ut ait Ariſtoteles) eſt judex ſui, & obliqui. Fidei autem virtus tanta eſt, ut ſine ipſa, nil Deo gratum eſſe poſsit: nec ſine ipſa aliquid à nobis vere bonum effici poſsit. Quoniam illa eſt, quæ cæteris virtutibus viam parat, & illis ſcopum, ad quem ſuos actus dirigant, oſtendit. Sicut enim inter cæteras virtutes, quæ uſitato & jam recepto vocabulo Cardinales dicuntur, prudentia prima: quia reliquas dirigit, & viam, qua incedere debent, oſtendit: Sic etiam inter illas, quæ theologales appellantur, fides eſt prima: quia reliquas, quid agere debeant, docet. Nemo ſine fide, quid ſperare, aut quid diligere debeat, agnoſcit. Fide deſtitutus, Deum numquam (ut decet) amabit. Quia numquam illum remuneratorem, aut vere bonum, intelliget. *Credere oportet accedentem ad Deum* (ait Paulus *Heb.* 11.) *quia eſt: & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Fides eſt, quæ nobis præmium noſtrorum laborum oſtendit, & per hoc vires nobis ad laborandum miniſtrat, & in ipſis laboribus conſtantes reddit. Hæc eſt, quæ nos temporalia omnia contemnere, & Deum, plus quam omnia creata, diligere, admonet. Nam qui veram de Deo fidem habet, non cupit, in miſeriis hujus ſæculi, dives fieri. Quoniam dum æterna conſiderat, temporalia ſibi vileſcunt. Et ideo Paulus, (*Philip.* 3.) *omnia hujus mundi arbitratus eſt, ſtercora: ut Chriſtum lucrifaceret.* Per hanc, Moyſes honores, delitias, & divitias contempſit. Nam (ut de illo refert Paulus *Heb.* 11.) Fide grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æſtimans Theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem. Cum negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, regiam dignitatem contempſit, ac proinde honores hujus ſæculi ſe vilipendere declaravit. Eligens affligi cum populo Dei, qui in luto & latere ſerviebat, magis quam temporalis peccati habere jucunditatem: aperte oſtendit nobis, quantum hujus mundi delitias æſtimaverit. Cum vero improperium Chriſti, hoc eſt, injurias, vel pro Chriſto, vel ad Chriſti ſimilitudinem patienter toleratas, majores æſtimavit Theſauro Ægyptiorum: ſatis aperte declaravit, quid de hujus ſæculi divitiis ſenſerit. Cauſam autem, à qua hic omnium rerum temporalium contemptus proceſſerit, Paulus expreſsit, dicens. Aſpiciebat enim in remunerationem. Nam idcirco elegit eſſe pauper, & deſpectus: Quia credidit alia multo majora bona in poſterum manere, quæ forent per paupertatem, & contumelias adipiſcenda. Hæs eſt, quæ nos Dei filios efficit. Sicut Paulus ad Galatas 3. ſcribens, ait: *Omnes filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Hæc eſt vita juſtorum. Quoniam *ex fide* (ut Abacuc Propheta teſtatur 2.) *juſtus vivit.* Hæc eſt denique Baſis & fundamentum totius Chriſtianæ ſtructuræ, cui, quicquid ad veram pietatem & Religionem ſpectat, inniititur. Hæc ſiquidem eſt illa firmiſsima petra, ſupra quam Deus fundavit Eccleſiam ſuam, (*Matth.* 16.) ſupra quam nos omnes fundari præcepit Paulus: (*Coloſſ.* 1.) *ut ſtabiles & immobiles ſimus à ſpe Evangelii, quod audivimus.* Hinc jam (ut opinor) aperte convincitur hæreſim, peſsimum eſſe vitium. Quoniam hæc fidem deſtruit, quæ fundamentum eſt totius Religionis, ſine qua, nihil ſunt reliqua omnia profutura. Ubi enim fundamentum deeſt, nihil ſuper ædificari poteſt: Et, ſi quid ſuperædificatum fuerat, neceſſe eſt, ut corruat. Fide ſublata, omni vitio quantumlibet pravo & magno, porta latiſsima aperitur. Sicut enim fides cæteris virtutibus, ita è contrario hæreſis omnibus vitiis viam parat, & aperit. Hinc fideles Catholici de hæreticorum vexationibus conqueruntur, apud Job 30. dicentes. *Quaſi rupto muro, & aperta janua, irruerunt ſuper me.* Quæ verba Beatus Gregorius interpretans, ait: „ Quaſi murus rumpitur, cum pravorum perſuaſionibus fides, quæ de redemptore noſtro eſt in quorumdam corde, diſsipatur. Cumque perverſis in hac vita poteſtas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? Quaſi rupto ergo muro & aperta janua, ſuper bonos irruunt mali: cum accepta temporaliter poteſtate, perverſi ipſa quoque in quorundam corde deſtruere munimina fidei conantur.“ Hæc Gregorius. Ob hanc cauſam de hæreſeos malitia myſtice Salomon in Proverb. 9. loquens, dixit: *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam, in excelſo urbis loco.* Hæc enim verba Beatus Hieronymus de hæreſi, intelligenda eſſe cenſet, ita inquiens: „ Mulier hæc hæreſis eſt, contraria nimirum ſapientiæ, quæ ſua ſuperius ſacramenta cecinit: ſtulta ſcilicet per fatuum intellectum, & clamoſa per garrulitatem, plenaque illecebris vitiorum: & nihil omnino ſciens, ſicut ait Apoſtolus: (*Galat.* 6.) „ *Qui ſe exiſtimat eſſe aliquid, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* „ Sedet autem & ipſa in foribus domus ſuæ, id eſt, in doctoribus falſitatis, qui in penetralia perfidiæ miſeros fallendo perducunt. Hactenus Hieronymus.

Admonere tamen hic decrevi lectorem; ne ex his dictis meis, occaſionem ſuſpicionis accipiat me ſentire, omnia infidelium opera eſſe peccata, prout Gregorius Ariminenſis docet: quoniam ab illius opinione, & ſententia ego manibus (ut dicitur) & pedibus recedo. Fateor quidem ſine fide nullum opus eſſe meritorium, & vita æterna dignum: non tamen ideo conſequens eſt, ut omne tale ſit peccatum: quoniam hæc duo, videlicet peccatum, & meritum, non tam proxime dividuntur, aut ab invicem ſeparantur, ut qui ab uno recedit, ſtatim ad alterum tranſeat. Eſt enim inter illa medium aliquod, quod ab utroque extremorum ſeparatur: ita ut aliquod ſit opus humanum, hoc eſt, per conſiderationem intellectus, & voluntatis libertatem factum: quod nec eſt præmio dignum, nec pœna. Verum & ſi non omnia infidelium opera ſint peccata dicenda, infidelitas tamen portam aperit latiſsimam, ad omnia vitia introducenda. Un-

minibus manifestata. *Sermo meus, & prædicatio mea* (inquit Paulus) (1. *Cor.* 2.) *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus, & virtutis Dei.* Et iterum alibi: (*Ephe.* 2.) *Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis.* Quibus verbis Paulus aperte satis docuit Catholicam fidem non esse humana ratione inventam, neque ex hominum electione pendere: sed ex Dei vocatione, & donatione. Quo fit, ut juxta veram hujus vocis significationem, hæresis minime dici possit. Invenimus autem fidem Catholicam sectam fuisse aliquando nominatam: sed hoc á viris impiis, & incredulis, aut ab iis, qui & si Christiani sunt, parum tamen fidei catholicæ dignitatem intelligunt. Nam Judæi habitantes Romam Paulo illuc adventanti dixerunt: (*Act.* 28.) *Rogamus à te audire, quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis: quia ubique ei contradicitur.* Secta dicta est ab infidelibus: numquam tamen fideles Catholici, nisi forte parum eruditi, hoc passi sunt, ut Christiana religio á Deo inspirata & non per hominem inventa, hæresis, aut secta diceretur. Unde Theophylactus exponens illud Pauli. *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam* (*Col.* 2.) sic ait: „ Vides quemadmodum per varia, „ humana quedam, hominum sensus, & cogitatus, cap- „ tiones ejusmodi emanarint, eoque hæreses dicuntur, „ quod hominum sint variæ sentientium opiniones, sed „ Christianorum hæc fides nequaquan humano aliquo sen- „ su, vel judicio constat, & ideo neque nomen aliquod sor- „ tita est hujusmodi, ut hæresis diceretur. " Hæc Theophylactus. Et Tertulianus in lib. de Præscriptionibus Hæreticorum circa principium ait: „ Hæresis dicta est Græ- „ ca voce in interpretatione electionis, qua quis sive ad „ instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo & „ sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo dam- „ natur sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio in- „ dulgere licet: sed neque eligere, quod aliquis de suo „ arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, „ qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent, „ elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideli- „ ter Nationibus adsignaverunt. " Hæc ille. Omnis igitur, & sola assertio, quæ ex hominum arbitrio pendet, sive vera illa sit, sive falsa hæresis dici potest, juxta nudam hujus vocis etymologiam. Theologi vero, & cæteri fideles Catholici hujus vocis significationem ad fidei dogmata contrahentes, solam illam hæresim esse dixerunt, quæ aperte fidem Catholicam oppugnare dignoscitur; quia in istarum asseveratione propria sententia sacris litteris, aut Ecclesiæ definitioni præfertur, cum tamen oporteret (juxta Pauli consilium) (2. *Cor.* 10.) *captivare intellectum in obsequium Christi.* Nobis igitur hæreseos nomen infame est: quamvis Ethnicis sit promiscuum veræ, falsæque assertioni conveniens. Ethnici siquidem liberum sibi esse putant, ut pro suo quisque judicio sentiat. Nos autem, qui in verba sacræ scripturæ, & Ecclesiæ Catholicæ juravimus, nefas esse censemus, vel latum pilum, ab illarum sententia recedere. Sed fortasse hic quispiam objiciet, quod hæresis non sit electio, quia electio est opus voluntatis: hæresis vero opus est intellectus. Huic autem objectioni nos ita respondemus: quod licet sit operatio intellectus, procedit tamen ab electione voluntatis, á cujus imperio intellectus movetur ad assentiendum: quemadmodum fides etiam ex propria affectione procedit. Unde Augustinus tractatu vigesimosexto super Joannem ait: „ Intrare quisquam Ecclesiam potest „ nolens, accedere ad altera, potest nolens, accipere sa- „ cramentum potest nolens, credere non potest nisi vo- „ lens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus, sed „ non corpore creditur ad justitiam. Apostolum audi di- „ centem: (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam.* Et qui „ sequitur? *Ore autem confessio fit ad salutem.* Hæc Au- „ gustinus. " Et quod ille dixit de vera fide, per quam id quod credere oportet, quis credit, idem prorsus de hæresi, per quam non veritatem Catholicam, sed errorem illi contrarium quis credit, dicere oportet, ita ut errori, aut hæresi nullus adhærere possit, ni volens. Hæresis igitur non est electio: sed procedit ab electione voluntatis. Declarata jam vocis Etymologia, opus est, ut rei definitionem ostendamus. Hæresis est assertiva enuntiatio sive propositio falsa fidei Catholicæ ita repugnans, ut cum illa simul esse non possit. Sunt, qui in hac definitione plura reponant: sed an merito id fiat, mox discutiemus. Cum diximus hæresim esse enuntiationem, sive propositionem falsam, aperte satis ostendimus factum aliquod aut quamlibet rem gestam non esse hæresim: quoniam hæresis non respicit opus exterius, neque ex illo pendet, ut hæresis dici possit: sed ex intellectu. Non est enim hæresis in opere: sed in errore intellectus, hoc aut illud judicantis. Qui furatur, nisi hoc sibi licere putet, nullo pacto est hæresis reus. Qui fornicatur, aut occidit, aut aliud simile crimen commitit, numquam in hæresim ob hanc causam lapsum fuisse dicetur: nisi hoc impune fieri posse crediderit. Et juxta hunc modum intelligenda venit sententia illa, quæ docuerit opus aliquod esse hæresim, ita ut hæresis non ad opus, sed ad judicium de opere datum referatur. Ita enim intelligendus est Gregorius Nazianzenus, cum symoniam appellavit hæresim, non quidem quod opus ipsum symoniacum, puta rerum spiritualium emptio, aut venditio, sit hæresis: sed quia ipsa opinio, qua censet hoc sine peccato fieri posse, sit hæresis. Nam qui spiritualia vendit aut emit, quamvis gravissime peccet, crimine tamen hæresis non erit infectus: nisi hoc sibi licere putet. Verum hic forte quispiam nobis objiciet, quod sæpe Inquisitores hæresim puniunt, velut hæreticos illos, qui in aliqua cæremonia Judaica, aut aliquo ritu Sarracenorum deprehensi sunt. Si res gesta sine errore intellectus non est dicenda hæresis: cur isti velut hæretici puniuntur? Si dicis ex facto ipso suspicionem justam oriri, ut illa facientes sic faciendum esse censeant: cur non eadem suspicio juste etiam ex furto, aut homicidio, aut adulterio nascetur, ita ut illa exequentes credantur sentire illa sine peccato fieri posse? Huic objectioni quidam vir doctus in quadam repetitione, seu mavis, relectione, quam de propositione hæretica habuit, respondet, dicens: tunc ex facto oriri suspicionem hæresis, quando opus ipsum fuit aliqua hæresi laudatum, aut saltem permissum; tunc enim de sic faciente suspicari licet (ut dicit) illum tali hæresi favere, quæ probat factum illud; verbi gratia: Si quis circuncidatur, aut Sabbatum religiose observet, hic talis in suspicionem Judaicæ perfidiæ merito incidit, aut quod credit veteris legis cæremonias etiam á Christianis esse observandas, quoniam Ebionitæ hæretici sic olim senserunt. Si autem opus illud non fuit umquam ab aliqua hæresi laudatum, ex tali opere quamvis sit grave peccatum dicit suspicionem hæresis juste oriri non posse. Sed hoc non posse defendi manifestissime convincitur per hoc, quod nullum fere crimen posset commiti, ex quo juxta hanc opinionem, non oporteret suspicari illum sic facientem male sentire de fide: quoniam adeo hominum malitia

tia prævaluit, ut vix ullum sit peccatum, quod aliquem non habuerit patronum. Nam si de coitu carnis loqui velis nulla est illius tam pestilens species, aut nefanda soboles, quæ non sit ab aliquo laudata. Promiscuum fœminarum usum licitum esse dixerunt Nicolaitæ, Floriani, Adamitæ. Simplicem fornicationem Græci á peccato defendunt. Omnis denique carnalis commixtio quæcumque illa sit, sive inter viros, sive inter fœminas, si carnalis libido nimium urat, á valdensibus judicata est licita. Restitutionem rei furto sublatæ esse necessariam ad salutem animæ assequendam, omnes fideles Christiani sentiunt, Græci tamen (ut de illis refert Guido Carmelita) hoc non esse necessarium docent. Sui ipsius occisio adeo damnata est ab omnibus fidelibus, ut veniæ locum apud Deum nullum habere dicant. Circuncelliones tamen illam usque adeo laudaverunt, ut martyrium esse dicerent. Nec sola occisio: sed cujusque principalis membri abscisio, nisi pro tuenda corporis bona valetudine fiat, ab omnibus etiam fidelibus est damnata. Valesii tamen hæretici (ut beatus Augustinus refert) dixerunt esse necessariam virilis membri abscisionem ad Deo bene serviendum. Inobedientiam subditorum Beguinæ, & Bægardi laudarunt, & illis subscripsit in hac parte Lutherus dicens obedientiam, quam inferiores superioribus reddunt esse miseram servitutem. Votorum violationem licitam esse docuerunt Lampariani, Pseudo Apostoli, Vvicleffitæ Lutherani, denique si fides adsit, nullum opus damnandum esse docuit Eunomius. Cum ergo hæc ita se habeant: illi, qui dicunt ex quolibet facto, quod ab aliqua hæresis probatum esse constituerit, merito suspicionem hæresis oriri necessario concedere habent omnes tales, qui in aliquod horum criminum lapsus fuerit, quæ nunc proxime enarravimus á variis hæreticis fuisse laudata; merito suspitionem hæresis incurrere, & ob illam posse capi, & puniri. Oportet igitur omnem fornicatorem, & ablata restituere nolentem, seipsum castrantem, omnem subditum inobedientem, omnem voti cujuscumque violatorem, omnem mendacem, perjurum, omnem denique scelestum hominem de hæresi suspectum esse, propterea quæ hæreses fuerunt olim quæ singula hæc licita esse dixerunt. Absit tamen à viro Christiano tanta severitas & tam injusta. Nam sit ita fieri oporteret, necessarium esset dicere, nullum crimen esse ex pura malitia, aut infirmitate: sed omne ex ignorantia. At multa sunt peccata ex pura malitia, quæ homines scientes se male agere, committunt. Ut patet in illis de quibus ait Job 77. quod *de industria recesserunt à Deo*, & in illis, qui cum proposito pœnitendi peccant, qui nisi se male agere crederent, numquam in posterum pœnitere proponerent. Cum igitur multos tales esse constet, non est æquum, ut de omnibus suspicemur, illos cum crimen aliquod committunt sentire sic esse faciendum. Cur autem de uno, plus quam de alio hoc suspicari liceat, ego ex natura ipsius criminis oriri puto. Sunt enim aliqua opera, ad quæ sumus omnes proni, & natura proclives, & in illa, etiam contradicente conscientia, præcipites sæpe labimur: ut sunt carnis voluptates, divitiarum cupiditas, honoris appetitus. Et in his nisi aliud addatur, quod merito suspicionem augere valeat, ex solo facto non credo, quod possit justa suspicio oriri. Ut si quis fornicetur, aut furetur, aut mentiatur, aut honores ambiat, aut suo superiori obedire recuset, aut aliquod aliud similis farinæ scœlus committat: quamvis circa qualitatem delicti peccet, non tamen ob hoc solum erit de hæresi suspectus, ut ille credat hoc sibi licere, quod facit. Nam cum ad peccata illa à carne nostra solicitemur, fit, ut quamvis illa esse mala sciamus, committere tamen non formidemus. Posset tamen talis circunstantia in hujusmodi peccatis esse, propter quam ex opere ipso vehemens hæresis suspicio juste oriatur. Ut si quis Sacerdos, aut Religiosus non Sacerdos, publice matrimonium contraheret, is certe licet ex simplici coitu, non posset merito credi hæreticus, tamen propter matrimonium adjunctum digne præsumitur hæreticus, præsertim si publice contraxit, aut publice nuptias celebravit, quoniam talis merito credendus est male sentire de Sacramentis Ecclesiæ. Non tamen credo æque vehementem suspicionem esse habendam de illo, si clam hoc fecisset, quoniam de illo merito suspicari posset dolo fecisse, ut hac videlicet via muliere frueretur, quam alias assequi non poterat. Et idem censeo dicendum de illo, qui vivente uxore aliam sciens duxit. Sunt alia opera ab his, quæ diximus longe diversissima, quæ voluntas naturaliter refugit, & ad illa appetenda, nisi ab alio, puta, à passione vehementi, vel ab errore intellectus vehementer impellatur, numquam ipsa ex se movebitur. Verbi gratia, sui ipsius occisionem, principalis membri abscisionem, voluntas hominis propter insitum, quem habet carnis suæ amorem naturaliter refugit: quoniam (ut ait Apostolus) *nemo umquam carnem suam odio habuit.* Et in his (mea quidem sententia) ne temere quicquam suspicemur, prius inquirendum est, an passio aliqua vehemens præcesserit, quæ illum ad tam horrendum scelus perpetrandum impulerit. Nam impotenti, & effrenato odio libidinis evenire poterit, ut quis virile membrum abscindat, tædio tentationis victus. Sæpe etiam contingere scimus aliquos tædio angustiæ, aut doloris alicujus, quem pati non possunt, mortem sibiipsis inferre, ut saltem hac via doloris & angustiæ finem inveniant. Et certe qui hæc, & similia committunt, credendi sunt ex infirmitate, aut ex passione victos tam horrendum scelus commisisse. Si vero aliunde constiterit, non ex pusillanimitate spiritus, aut ex vehementi passione, in tale crimen fuisse lapsos necessarium erit tunc suspicari illos tali hæresi fuisse infectos, ut crediderint hoc sibi licuisse, quod fecerunt. Quoniam cum voluntas ex se ad illa non fuerint mota, nec ex passione, vel infirmitate (ut supponimus) oportet necessario, ut ex errore intellectus ad id faciendum motam esse credamus. Sunt rursus alia opera, ad quæ voluntas non ex se movetur, nec etiam ex se illa refugit: quoniam nihil illa habent, quo possint voluntatem allicere, vel à se repellere: sed voluntas est dubia, & anceps ad illa, cum sint illi per intellectum nude ostensa. Talia sunt cæremoniæ Judaicæ, aut Sarracenorum ritus: ut sunt, Religiosa Sabbati observatio, abstinentia à suffocato, & sanguine, aut aliis cibis, lege Mosaica prohibitis, nisi forte salutis corporalis causa, talem abstinentiam factam esse constiterit. Jejunium die Dominico, esus agni Paschalis juxta ritum Judaicum, aut quodvis aliud simile. Baptizare Imagines, aut corpora mortuorum, Imagines Sanctorum confringere, Sacramentum Altaris conculcare. Cum hæc homo facit, certum est illius voluntatem ab intellectu moveri ad illorum appetitum. Non enim movetur ab objectis: quoniam (ut diximus) objectum tale non est, ut possit allicere voluntatem. Nec movetur à se, aut à carne sua: quoniam nec voluntas, nec caro habet ad illa opera aliquam inclinationem. Consequens est igitur ut ab intellectu motam esse vo-

bus illos ad fidem, quam in baptiſmo ſuſceperunt, tuendam cogunt, tyrannos vocant. Qui ita ſentiunt, ſi aliquis in hac parte permittitur conjecturis, aut ſuſpicionibus locus, non aliorum, ſed ſuam cauſam mihi tueri videntur. Nam ideo illos ita docere ſuſpicor, ut impunitate hæreſibus conceſſa, liberius quas voluerint, poſſint hæreſes, aut verbo prædicare, aut ſcripto docere. Optant quidem illi eas, quas contra Eccleſiæ Catholicæ fidem mente conceperunt ſententias, in publicum effundere: ſed metu pœnæ coerciti mutire non audent. Et ob hanc cauſam male illos habet hæreticorum punitio, quæ illorum effrenatam compeſcit dicendi, ſcribendique libidinem. Hæreticos igitur ideo impunitos eſſe reliquendos aliqui contendunt, & ut, vel hac via ſibiipſis impunitatem acquirant, qua adepta, libere poſsint, quicquid libuerit docere. Harum duarum tam diverſarum, ſecumque pugnantium ſententiarum: altera propter acerbiſsimam illius auſteritatem: altera ob nimiam remiſsionem, pernitioſamque indulgentiam deferenda mihi videtur. Inter has igitur mediam in hoc opere docere ſtatui, quæ ab utraque longe diſcedat, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinans. Potiſsimus tamen hujus noſtri operis ſcopus eſt: contra eos, qui hæreticorum impunitatem docent, pro Catholica Eccleſia, (veluti filius pro matris honore) pugnare, cauſamque illius pinguiori, qua potuero Minerva agere, ut oſtendam nihil illam injuſtum, nihilque, quod veram matrem dedeceat, ſtatuiſſe. De qua re nullus umquam (quod ſciam) ante me diſſeruit. Nam & ſi adverſus eos, qui hæreticorum impunitatem docent, multi Theologi Catholici, & docti hoc noſtro ſæculo ſcripſerunt, qui hæreticorum punitionem multis, evidentiſsimiſque rationibus juſtiſsimam eſſe perſuaſerunt, quod tamen juſtæ ſint omnes illæ pœnæ, quæ jure canonico & civili adverſus hæreticos decretæ ſunt: nullus eorum, quos hactenus videre licuit, probavit: nec de illa re ullus umquam illorum diſſeruit. Quæ res certe non erat prætereunda, præſertim quum multi ſint hoc noſtro ſæculo, qui illas injuſtas eſſe pertinaciſsime contendant. Scio pleroſque juris peritos de hujuſmodi pœnis ſatis ſuperque diſſeruiſſe, nullus tamen eorum, quos noverim, vel aliquam ſuæ diſputationis partem ad hunc ſcopum direxit, ut omnes illas pœnas juſte hæreticis irrogatas eſſe probaret. Suſpicor hac occaſione ab illis omnibus hanc diſputationem fuiſſe omiſſam, quod impium illi autumant, de legum bonitate, & juſtitia diſputare, quas omnes ſanctas eſſe cenſent, & perinde ac divina oracula venerandas. Sint licet illæ ſanctiſſimæ, non deſunt tamen, qui nigrum illis præfigere thita non verentur. Harum igitur legum: quæ hæreticis pœnas aliquas decernunt, tutelam ab omnibus deſertam ego hac intentione in præſentiarum ſuſcipio, ut illas omnes juſtiſsime inflictas eſſe non ſolum pro viribus tuear: ſed aliis etiam ut in eamdem tranſeant ſententiam urgentiſsime (Deo favente) perſuadeam. Ut autem rem hanc pie, & plene abſolvere poſsim, tribus libris opus hoc partiri decrevi, quibus quicquid ad hanc rem ſpectat, comprehendi poſſe ſum arbitratus. Primo libro de ipſis hæreticis diſſeram, & oſtendam, qui ſunt illi, & quomodo ſint de ſuis hæreſibus legitime admonendi, ut ſi forte ſuo agnito errore ad viam voluerint veritatis redire, doceamus, qua benignitate, & miſericordia ſint ab Eccleſia recipiendi. Altero mox libro de illis hæreticis, qui ſuas tam mordicus hæreſes tenent, ut ab illis nequaquam avelli poſsint, pertractabo: & pœnas, quæ ſunt illis à jure decretæ, ſigillatim recenſebo, quibus ad amuſsim declaratis, eas omnes juſtiſsime inflictas eſſe multis evidentiſsimiſque rationibus (Deo adjutore) convincam. Tertio denique libro vias aliquas oſtendam, quibus mea ſententia obviari poteſt hæreſibus, ne ulli deinceps inter Chriſtianos oriantur hæretici, quos Eccleſiæ præſules, & mundi Principes citra remiſsionis, & ignaviæ notam, non poſsint relinquere impunitos. Ante omnia tamen Theologos, & juriſperitos, quibus omnibus opus hoc profuturum ſpero, exoratos eſſe vellem, ut ſi illorum alteruter in hoc opere legens aliquando circa notiſsima ſuæ facultatis principia ampliorem forte, quam ille vellet, ſermonem me feciſſe viderit, non ideo ſuccenſeat mihi, aut opus hoc contemnat: ſed illa non ſibi, ſed alterius facultatis hominibus me ſcripſiſſe intelligat. Sunt enim aliqua juriſperitis notiſsima, circa quæ parum verſantur Theologi. Sunt rurſus alia Theologis apertiſsima, etiam ex his, quæ ad hæreticos ſpectant, quæ non ſunt ita juriſperitis manifeſta. De quibus omnibus, cum ſim in hoc opere diſputaturus, ne forte in eam, quam aliis parare intendo, incidam foveam, illud imprimis teſtor me nolle quicquam adverſus Catholicæ Eccleſiæ doctrinam ſentire: ſed ejuſdem Eccleſiæ judicio, & cenſuræ opus hoc, & meipſum totum ſubjicio. Quod ſi forte, prout ſunt intellectus humani fallaces, ab illa ſententia, quam Catholica docet, & tenet Eccleſia aliquando in hoc opere me deviare contigerit, ut id non ex induſtria, ſed per ignorantiam, aut negligentiam me dixiſſe arbitrentur, omnes exoro. Et illud ex nunc pro recantato haberi peto: quoniam in verba Eccleſiæ Catholicæ juravi, & in obſequium Chriſti illius ſponſi, qui illam jugiter docet, intellectum meum jamdudum in captivitatem redegi. Ob quam cauſam omnibus Eccleſiæ Catholicæ definitionibus, veluti divinis Oraculis, fateor me eſſe obedire paratum.

RE-

REVERENDISSIMI P. F. ALFONSI DE CASTRO, ZAMOREN. ORDINIS MINORUM, DE JUSTA HÆRETICORUM PUNITIONE.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit hæreſis.

DE Hæreticorum punitione tractaturus, ab Hæretici definitione exordiri debuiſſem, ut inde omnibus pateret, quid ſit id, de quo præſentem ſuſcipimus, diſputationem. Verum quia omnes, qui vocis etymologiam, vel mediocriter agnoſcunt, optime norunt hanc vocem, hæreticus ab hæreſi deduci: ideo præſentem diſputationem longius petendam eſſe cenſui, ut ab hæreſis definitione illam auſpicarer: & inde ad Hæretici definitionem manifeſtandam facilius profiſcerer. De hac re & ſi in opere illo, quod adverſus omnes hæreſes ædidi abunde per tractaverim, nunc tamen fuſius, & exactius dicere ſtatui, propterea quod quæ nunc agimus, eo tendunt, ut his, qui de hæreticis judicare, & illos punire habent, notum eſſe poſsit, quali nota omnes circa fidem errantes inurere debeant. Quæ omnia ſcire hujuſmodi judicibus eſt valde neceſſarium, ob id ſolum, quod non omnes errores etiam ſi illi de rebus fidei tractent, ſunt æqua lance penſandi. Prius igitur nudam nominis ſignificationem explicemus, & inde veram hæreſis definitionem melius inveſtigare poterimus.

Hæreſis cum non Latina, ſed Græca vox ſit, illius etymologia, & ſignificatio á Græcis petenda eſt, non autem à Latinis, prout quidam parum in ſermone aut Græco, aut Latino eruditi de hæreſi diſſerentes faciunt, qui hæreſim ab hærendo deducunt, atque ob id aliquam aſſertionem hæreſim dictam eſſe putant, quod quis ſuo tantum innitens judicio, illi pertinaciter adhæreat. Hanc vocis bellam etymologiam reddit Petrus de Palude in quarto ſententiarum, Diſtinction. 13. Hoſtienſis vero in ſua ſumma deducit hanc vocem hæreſis ab erciſcor, quod priſco vocabulo ſignificat dividere. Sed iſta multo magis ridenda eſt etymologia, quam præcedens, quod facile intellexiſſet, ſi conſideraſſet, quod hujus vocis hæreſis prima ſylaba ſcribitur per diphthongum, æ, & cum aſpiratione. At hæc vox, erciſcor, nec diphthongum habet in principio, nec aſpirationem. Abbas in capite firmiſsime de hæreticis, triplicem aſsignat derivationem hujus vocis hæreſis. Dicit enim eam deduci ab hoc verbo adhæreo, vel ab hoc verbo erciſcor, vel ab hoc verbo erro. Non quidem miror, quod hæc ignorent, quæ ſuæ profeſsionis non erant: ſed miror quod quæ ignorabant, non ſunt veriti tanta cum auctoritate docere. Juſtum quidem fuiſſet, ut de hac re, quam prorſus ignorabant, viros doctos conſuluiſſent, à quibus edocti potuiſſent poſtea ſine rubore alios docere. His igitur, & aliis ejuſdem farinæ hujus vocis etymologiis rejectis, dicimus hæreſim Græce idem eſſe, quod electionem Latine. Nam hæreſis ab *airoymai* verbo Græco deducitur, quod Latine uſum ſonat idem quod eligo. Et ob hanc cauſam Philoſophorum ſententiæ, aut opiniones hæreſes quandoque dicuntur: quia eam, quæ ſibi magis placebat, illorum quiſque eligebat ſententiam. Sic enim Cicero in paradoxis ait. Cato in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur orationis florem. Hæreſim dixit pro electione, quia talem dicendi ſtylum ſibi elegerat Caro, qui nullum prorſus orationis florem haberet. Quia igitur hæreſis electio eſt, fit, ut Chriſtianorum fides numquam hæreſis vere dici poſsit. Hæc enim non ex hominis arbitrio pendet, neque ingenio humano inventa eſt: Sed Deo inſpirante & revelante eſt ho-

de evenit, ut qui infidelis est, omni vitio perpetrando aptissimus sit. Sicut enim, qui corporales oculos amisit, male se ab hostibus tuetur: Quoniam illorum jacula, à quibus cavere illum oporteret, videre non potest: Ita qui fidem Catholicam, quæ oculus est mentis nostræ, deseliquit, à dæmonis tentationibus liberari non potest. Quoniam sine fide hostes invisibiles, illorumque jacula non videntur: & ideo non caventur. Hac de causa dœmones impense laborant, à fidelibus Catholicis hos oculos eruere: ut eo facilius illorum animabus nocere possint, quo minus ipsi cogniti fuerint. Samsonem, post erutos oculos, Philisthiim vinctum catenis duxerunt, & clausum in carcere molere fecerunt: (*Judic.* 17.) sic dœmones postquam oculos mentis, hoc est, fidem ab aliquo abstulerunt, vinctum illum detinent, & per omnium peccatorum circuitum, illum devolui cogunt. Nam fide ablata, mutua inter proximos charitas evanescit, vinculum pacis dissolvitur, concordia scinditur, vilia hæc, & caduca, supra illorum meritum æstimantur. Deus vilescit, & non (ut decet) colitur; omnis denique religio prophanatur, omnisque pietas perit. Unde Felix Papa, & Martyr in Epistola ad Paternum Episcopum ita ait: „ Hæresis quippe est nimis impia, & Evangelicæ veritatis inimica, „ quæ non portionem aliquam lædere: sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta convellere. Quoscumque enim rapit ad se, non solum in hoc vitium, „ sed in multa alia vitia ruere facit, & ipso suadente antiquo hoste, non solum persecutores Ecclesiæ, sed „ etiam sacerdotum ejus fiunt. Hæc ille. " Verum hic aliquis fortasse dubitabit, & merito: An hæresis sit gravius schismate peccatum, dubitandi autem causa hæc est, quod schisma multo gravius á Deo fuisse punitum legimus. Sed (hoc non obstante) nos dicimus hæresim multo pejorem esse, quam schisma. Quoniam juxta regulam Beati Augustini, tanto aliquod malum est pejus, quanto majori bono opponitur. At hæresis est contra primam veritatem, quæ Deus est. Schisma vero, & si dicatur esse contra charitatem, non tamen contra illam charitatis partem, quæ Deus est. Schisma vero, & si dicatur esse contra charitatem, non tamen contra illam charitatis partem, quæ Deum respicit: sed contra illam, quæ circa proximum versatur. Est enim schisma contra bonum fraternæ charitatis & unionis. Licet autem charitas major sit fide, sola tamen ea parte censetur major, qua respicit Deum: & contra hanc non est schisma, sed contra illam, quæ respicit proximum, & hæc major est, quam fides. Unde colligimus hæresim esse ex genere suo gravior schismate peccatum: quia hæresis divinam veritatem cui fides innititur, oppugnat. Schisma autem fraternam oppugnat charitatem, & Ecclesiæ unitatem scindit. Fatemur tamen aliquas posse contingere circumstantias, propter quas schismaticus gravioris culpæ fiat reus, quam hæreticus: ut puta, si major adesset contemptus: vel quia magis per schisma, quam per hæresim noceret. Sed hæc, aut alia similia contingunt schismatici: nec illi á natura insunt: ac proinde genus schismatis non est ex illis æstimandum. Nam gravitas peccati ex genere suo, ex illis, quæ sunt illi insita & naturalia, capienda est: & non ex circumstantiis, quæ contingere possunt. Quod autem objicitur, schisma esse gravius punitum, fatemur quidem. Quoniam hoc apertissime docet liber Numer. cap. 10. referens Dathan, & Abiron, ob hoc scelus, fuisse vivos absorptos à terra: sed hoc non obstat, quin hæresis gravius sit peccatum. Quoniam licet ultimæ pœnæ, quæ videlicet post mortem peccatoribus infliguntur, juxta mensuram delicti (ut legitur in Deuteronomio cap. 25.) imponantur, quæ tamen in hac vita infliguntur, non semper juxta hanc mensuram dantur. Nam pœnæ, & cruciatus in hac vita, non solum dantur in punitionem, sed ad medicinam: ut scilicet, per eas curentur peccata, & ipsi peccatores á similibus in posterum caveant, & alii illorum periculo sibi ipsis consulant, & ab illis abstinere procurent. Ob hanc causam minus & levius peccatum: quia tamen sæpius commissum, aut quia ad illud major est proniras, aliquando gravius punitur: ut timore pœnæ, illi aut alii ab illorum commissione, arceantur. Populus autem Judæorum ad seditionem, & schismata fuit semper proclivis: ut ex discursu sacrarum historiarum facile est cognoscere. Et apertum etiam de hac re habetur testimonium; apud Esdr. 14. sic dicentem: *Civitas illa à diebus antiquis adversum Reges rebellat, & seditiones, & prælia concitantur in ea.* Justum ergo fuit duras infligere pœnas: ut illis, veluti acerbissimis quibusdam adustionibus, tam late grassanti morbo, obviaretur.

CAPUT III.

De differentia inter propositionem hæreticam, & erroneam, & temerariam, & scandalosam, & alias similis notæ propositiones.

Quia dixi aliquas esse propositiones, quæ, & si hæreticæ merito censeri non possint, propter varias tamen illarum propositionum infames notas, ut puta: quia erroneæ, aut scandalosæ, aut temerariæ sunt, inhiberi possunt ab his, quibus hoc incumbit: ne prædicentur populo, aut quomodolibet doceantur. Ideo necessarium esse existimavi, de istarum propositionum differentia tractare: ut inde constet, quali nota sit quælibet falsa propositio inurenda. De propositione hæretica cum satis in primo hujus operis capite tractaverim, non est opus in præsentiarum quicquam, aut repetere, aut superaddere. Propositio erronea (si absque ulla nominis restrictione definiatur) dicetur absolute: quod est propositio falsa. Et falsam propositionem nunc dico esse, non solum illam, qua aliquid enuntiatur aliter esse, quam est: sed etiam illam propositionem, cui quis aliter, quam deberet, assentit: utputa, quia firmius, aut certius, quam deberet. Nam Beatus Augustinus errorem definiens in Enchiridio ad Laurentium cap. 17. sic ait: „ Errare „ est approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro „ falsis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro in„ certis: hæc ille. " Ex quibus aperte constat omnem illum errare, qui propositioni dubiæ, aut opinabili assentit, cum certitudine fidei, & omnem talem assensum esse erroneum: quia etsi verum forte sit, quod asserit: aliter tamen quam deberet, asserit: cum incerta pro certis teneat. Si autem juxta hunc modum, de propositione erronea loquimur, nulla prorsus est difficultas distinguere inter hæresim, & propositionem erroneam: cum constet alterum esse genus, alterum vero illius speciem. Nam propositio erronea genus est, quod sub se continet hæresim, tamquam suam speciem: quia omnis hæresis est propositio erronea: non tamen vice versa omnis propositio erronea est hæresis dicenda. Sed difficultas est non parva agnoscere, quo pacto inter se differant, hæresis, & error in fide. Quoniam si est propositio erronea, consequens est, ut

ut falsa sit: & si est erronea in fide, oportet, ut falsitas illius sit contra veritatem fidei. At falsum, quod veram fidem oppugnat: nescio qua via eximi possit, ne hæresis dicatur. Quo fit, ut nullum sit inter illa duo discrimen: & certe si aliquod est, tam occultum est illud, ut omnes, qui de hac re scripserunt, latuerit. Quoniam nullus eorum, qui de varietate propositionum damnabilium scripsit, quicquam docuit, unde hæc diversitas posset agnosci. Joannes de Turre Cremata in summa Ecclesiæ, libro quarto, parte secunda, capite undecimo, definit propositionem erroneam, absolute; sed non definit propositionem erroneam in fide.

Quidam Martinus Garcia olim in regno Aragonum Inquisitor, & postea Barchinonensis Episcopus, in quodam libello, quem adversus aliquas Pici Mirandulani conclusiones ædidit, de diversitate harum propositionum, in principio libri tractans, eadem, & sub eisdem verbis, & fere nullo mutato verbo, dicit, quæ apud Joannem de Turre Cremara, habebantur. De Guidone Carmelita pudet loqui: quoniam de hæresibus differens, cum nihil absolutum, & consummatum scribat, nullam etiam prorsus de diversitate istarum propositionum mentionem facit. Ex aliquibus tamen variarum universitatum, & diversorum conciliorum censuris: videtur aliquod esse inter illa duo discrimen; quoniam de variis assertionibus illi definientes aliquas censent esse hæreticas, aliquas in fide erroneas. Quod autem ita res habeat, ex his quæ in Concilio Constantiensi definita sunt, convinci potest: quoniam cum in sessione octava ejusdem Concilii multæ Joannis Vviclefi assertiones damnentur: non tamen omnes eadem nota uruntur: sed earum aliquæ censentur hæreticæ, aliquæ erroneæ, aliquæ scandalosæ. Si quis ab his angustiis liberari cupiens, dixerit solam esse vocum differentiam, & non rerum, ita ut idem prorsus sit propositio hæretica, & propositio erronea in fide, ego illius sententiæ libentissime consentirem, dicens universitates illas in suis censuris ad solum orationis ornatum tali vocum varietate esse usas, ita ut propositiones ejusdem notæ nunc hæreticas, nunc in fide erroneas appellaverint. Et hujus sententiæ videtur fuisse Joannes de Turre Cremata: quoniam in libro, & parte supra citatis, hæc quæ sequuntur ait: Error circa quæcumque contenta in sacra scriptura, sive pertineant ad historias, sive ad articulos fidei, sive ad mores, dicetur hæresis. Hæc ille. Si tamen cogor fateri aliquod esse inter propositionem erroneam in fide, & propositionem hæreticam discrimen, dicam, quod sentio: paratus tamen meliora docenti obedire. Ut autem quod dixerim, apertius fiat, admonere prius oportuit diversa esse credibilium genera. Quædam enim sunt talia, quod superant virtutem nostri intellectus, ita ut ad illa intelligenda non possit pertingere noster intellectus: nisi prius crediderit, de quibus Esaias 7. juxta translationem LXX. ait: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et ista sunt, circa quæ proprie versatur fides. Assertio autem, quæ hæc credibilia oppugnat, hæresis proprie dicitur. Alia sunt credibilia, quæ non omnem virtutem intellectus superant, & sunt illa, quæ intellectus ex virtute sua (non excludo hic universalem Dei concursum) attingere potest: sed peccatis obscuratus intellectus cognoscere non potest, & propter hoc Deus nostri miseratus illa per scripturam sacram nobis innotescere voluit: ut si per nosipsos malitia nostra obstante illa cognoscere non valeremus, saltem Deo docente intelligeremus. Tales sunt istæ propositiones: Deus est. Deus est unus. Deus est intelligens. Deus est omnipotens. Istæ omnes propositiones naturali lumine intellectus possunt sciri: quod autem á multis gentibus fuerint ignoratæ, malitia fuit causa, quæ illorum excæcavit intellectum. Nam de istis, & aliis similibus propositionibus Paulus loquebatur, (*Rom.* 1.) cum Gentilium philosophorum insipientiam, & cæcitatem arguens, dixit: *Qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei manifestum est illis.* Quæ verba exponens beatus Anselmus, ait: „ Veritatem Dei, id est, quod „ ipse est verus Deus, detinent in injustitia. Quia cum „ vere sciant uni creatori debere cultum summæ vene„ rationis exhiberi, eum injuste exhibent creaturæ. Et „ post pauca subdit. Nam illi noverunt veritatem, quam „ cæteris abscondunt. Quia quod notum est Dei, id est, „ quod naturali ingenio sciri potest de Deo, manifestum „ est illis. Multa enim sunt, quæ de Deo per naturam „ sciri non possunt: sicut est mysterium incarnationis, & „ passionis, quod latuit sapientes mundi. Sed hoc de „ Deo naturaliter sciri potest: quod ipse sit Deus. Quia „ omnis creatura ostendit se non esse Deum: sed esse „ alium, qui eam fecerit, cujus servitio parere necesse „ sit. " Ita quod notum est de Deo, manifestum est illis. Hæc ille. Et istæ tales propositiones non sunt proprie objectum fidei: cum naturali ratione comprehenduntur. Nam (ut beatus Gregorius ait) fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Assertio ergo talis, quæ est contra credibilia, quæ naturali ratione probari possunt, erronea in fide dicetur. Ut gratia exempli, quod Deus non est unus: quod Deus non est omnipotens: quod Christus fuerit homo in triduo: quod anima hominis producatur ex semine humano, sicut anima bruti: quod charitas, qua nos Deum diligimus, est Spiritus Sanctus. Vita activa est excellentior, quam contemplativa. Omnes istæ propositiones dicendæ sunt erroneæ in fide. Quia ratione naturali confutari possunt. Hoc igitur inter propositionem hæreticam, & propositionem erroneam in fide esse censeo: quod hæresis proprie dicta est contra credibilia, quæ superant omnem virtutem intellectus. Error vero in fide est contra credibilia, quæ ratione naturali probari possunt. Si autem credibile aliquod hujusmodi fuerit, ut præter rationem naturalem possit etiam probari per sacram scripturam, aut Ecclesiæ determinationem, aut per alias vias, quibus ea, quæ credere tenemur probari possunt, assertio, quæ illud credibile oppugnat, dicetur hæretica simul, & erronea in fide. Talis est hæc propositio: Deus non est unus. Nam, quia ratione naturali illius falsitas convinci potest, dicetur propositio erronea in fide. Quia vero idem per sacram scripturam potest probari, dicetur propositio hæretica; & pertinax illius aut alterius similis propositionis assertor censebitur hæreticus: & velut talis erit merito puniendus. Potest adhuc aliud inter hæc duo dari discrimen, per hoc, quod hæresis semper est contra id, quod credere tenemur. Error autem in fide non semper est contra id, quod credere tenemur. Sunt enim multæ propositiones Theologicæ, quæ in sola opinione consistunt, quarum neutram contradictionis partem homo credere tenetur. Sed quamlibet citra fidei dispendium tueri potest. Tales sunt istæ propositiones: In sacramento novæ legis est aliqua qualitas supernaturalis causans gratiam. Beatus, Deo ita operante, potest videre unam personam divinam, sine alia. Beatitudo consistit magis in visione, quam in dilectione. Qui has propositiones, aut il-

illarum contradictorias assereret, non esset hæreticus. Si quis tamen alteram illarum sic assereret, tamquam fidei articulum, ita ut oppositam assertionem censeret hæreticam, talis erraret in fide, & (ut infra capite octavo hujus libri dicemus) esset hæreticus: quia firmius illi adhæret, quam deberet. Nam errat juxta Augustini sententiam: quia habet incerta pro certis: sicut erraret, qui certa haberet pro incertis. Si cui hæ distinctiones inter propositionem hæreticam, & erroneam in fide, non placent, ego adversus illum contendere nolo: sed rogo illum, ut offerat meliorem. Quoniam (ut dixi) paratus sum meliora docentem audire. Audivi ego ex quorumdam relatu, virum quendam doctissimum, in Complutensi Gymnasio publice Theologiam profitentem, qui, ut inter hæc duo aliquod præberet discrimen, prius de errore distinguebat sic in publica lectione, dicens: Dupliciter aliqua propositio dici potest erronea. Potest enim esse erronea errore logico, & omnis falsa propositio est hoc errore erronea. Quo fit, ut omnis propositio erronea in fide errore logico, sit etiam hæresis dicenda: quia omnis talis dicit falsum in fide. Alio modo potest dici aliqua propositio erronea in fide, errore Theologico: & est illa, quæ est contra communem opinionem Theologorum. Ex quibus multæ sunt, quæ nullo modo heresis dici merentur. Dictumque est mihi illum, quum hæc doceret, hoc dedisse exemplum. Hæc propositio: Virgo Maria concepta est in peccato originali, est erronea in fide errore Theologico. Quia est contra communem præsentium Theologorum opinionem, non tamen est hæresis dicenda. Quia illius contradictoria non pertinet ad fidem Catholicam, nec illam pro fide Catholica tenendam esse, Ecclesia umquam decrevit. Quantum veritatis hæc erroneæ propositionis distinctio habeat, lectori judicandum relinquo, admonens solum, ut consideret, quomodo possit dici propositio erronea in fide, quæ nec ex parte suæ enuntiationis, nec ex parte illius, qui illam firmius, quam deberet, asserit, fidem oppugnat. Nam & si demus omnem illum, qui asserit aliquid contra communem Théologorum opinionem, errare Theologico errore: non tamen oportet dicere omnem talem errare in fide. Quia durum est, ut quis dicatur errare in fide, quando propositio, quam asserit, non est contra fidem, nec modus asserendi est contra fidem: quia non majorem, quam debet, illi adhibet fidem.

Propositio hæresim sapiens, aut male circa ea, quæ ad fidem pertinent, sonans est illa, quæ in prima significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum: quamvis pie intellecta sensum aliquem habeat verum. Joannes Gerson lectione secunda, de vita spirituali animæ corrolario septimo, dicit idem esse propositionem hæresim sapientem, & errorem: Sed hanc illius sententiam ego minime veram esse puto. Quoniam nulla propositio potest dici erronea, nisi prius constiterit de sensu illius. At multæ sunt propositiones, quæ varios & longe distantissimos possunt reddere sensus: quorum alter sit Catholicus, alter hæreticus. Indignum igitur est, ut talis propositio simpliciter, & absolute absque ulla examinatione, aut distinctione dicatur error, quæ sensum potest habere verum & Catholicum. Consequens igitur est, ut hujusmodi propositio prius sit de sensu illius examinanda, antequam erroris nota sit illi inurenda. Dicetur tamen semper hæresim sapere, propterea quod ex vi suorum verborum semper parata est hæreticum sensum reddere, perinde ac Catholicum. Ut sunt istæ propositiones: Pater est major filio. Christus est creatura. Tres sunt Dii. Vesci carnibus, vel non vesci impertinens est Christianæ perfectioni. Philosophi Gentiles in sola lege naturæ salvari potuerunt. Hæc ultima pro eo hæresim sapit: quia si fidem excludat, est hæretica; si fidem de Deo non excludit, vera est: & ideo sic nude prolata hæresim sapere videtur, & expositione indiget. Istæ propositiones, licet pie intellectæ aliquem verum sensum habeant, tamen juxta facilem verborum significationem, hæresim sonant. Cum igitur hæ propositiones, aut aliæ similis notæ prædicantur, aut docentur, duo consideranda sunt ab illis, quibus de hæreticis inquirere, & judicare incumbit. Primum est de persona asserente, an sit alias de hæresi suspecta. Alterum est, an aliquis ex auditoribus verba illa juxta sensum hæreticum intellexerit: ac proinde scandalizatus fuerit. Et si hoc ultimum contigerit, vocandus est illius propositionis assertor, & cogendus, ut publice ea, quæ dixit juxta verum illorum verborum sensum interpretetur: ut omne scandalum ab auditoribus tollatur. Si vero persona est suspecta: sed nullum auditores ex illius verbis concepere scandalum, tunc vocandus est secreto, & de verborum suorum intelligentia interrogandus, & si juxta Catholicum sensum verba illum dixisse constet, liber absque ulla punitione, dimittendus est: neque (ut ego existimo) opus est illum ad publicam verborum suorum declarationem cogere: ne forte ex nova verborum declaratione, aliquis scandalizetur, qui ante non fuerat scandalizatus. Justum tamen esse censeo, ut Inquisitores admoneant prædicatorem, aut doctorem talem, ne similia iterum sine manifesta verborum declaratione prædicare, aut docere audeat.

Propositio scandalosa, aut piarum aurium offensiva est propositio, quæ auditoribus piis occasionem ruinæ præbet. De hac re aliqua exempla proponam, ut ad istarum imitationem possit lector prudens de aliis judicare.

Hæretici sunt tollerandi, & non occidendi.

Majoris meriti est eleemosynam pauperi elargiri, quam eleemosynam pro Missæ sacrificio offerre.

Ineptum est, pro oratione offerre salutationem Virginis.

Tyrannum potest quilibet illius subditus occidere.

Jejunare impertinens est Christianæ perfectioni.

Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo.

Omnes istæ propositiones sunt scandalosæ: quia omnes auditoribus occasionem ruinæ præbent. Prima quidem viam latissimam aperit ad hæreses quascumque inducendas: quoniam facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi. Secunda propositio avertit à sacrificio Missæ, & devotione illius: quia si populus credat minoris meriti esse Missæ sacrificium, quam eleemosynam: tunc populus minus reverebitur illud sacrificium, quam oportet, nec toties illud celebrare faciet, ut nunc facit. Sed unicam Missam (ut Lutherus docet) uni populo satis esse dicet. Tertia propositio tollit devotionem, quam populus erga piam Dei matrem habet, quam Deus mediatricem esse voluit inter nos, & illum. Quarta propositio animum, & vires populo præbet, ut pro libito Dominum suum occidat: quoniam semper causabitur Dominum suum esse tyranum. Quinta propositio quodammodo homines à jejunio avertit. Sexta proppositio tepidos reddit homines, ad baptismum suscipiendum.

Propositio temeraria est illa, quæ omni prorsus caret auctoritate, aut ratione, quæ alicujus sit momenti, per quam illa probari possit. Illa enim temere fieri dicuntur (ut beatus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione 53. ait) quæ nulla ratione reguntur: quo fit, ut illud merito, temerarie assertum dicatur, quod nulla auctoritate, aut ratione probari potest. Illa igitur propositio dicetur temeraria in fide, quæ de rebus ad fidem spectantibus aliquid enunciat, quod nulla ratione, nullaque auctoritate probari potest. Tales sunt hæ propositiones, quæ sequuntur.

Dies judicii erit infra annum. Christus Redemptor noster mansit per 40. dies, qui fluxerunt á resurrectione, usque ad Ascensionem in arca fœderis. Discipuli Joannis Baptistæ fuerunt illi, qui in Christi Redemptoris nostri passione, dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joannes Evangelista fuit Sanctificatus, in utero Matris.

Omnes Romæ viventes sunt in peccato mortali.

Omnes Episcopi damnantur.

Plures salvatur ex conjugatis, quam ex Monachis.

Plures fœminæ salvantur, quam viri.

Omnes istæ propositiones sunt de temeritate notandæ, & illarum assertor, merito temerarius censebitur. Ab hac tamen nota liberabitur propositio, & illius assertor, si aliquam verisimilitudinem habeat id, quod asseritur: quamvis & auctoritate, & ratione careat, præsertim si aliqua utilitas ex illa assertione oriri potest. Ut sunt multa, quæ viri contemplativi gesta fuisse verisimiliter imaginantur, & populo narrata optimos per illa suscitate possunt affectus. Talia sunt quædam injuriosa verba, quæ à pessimis satellitibus, & aliis militibus, & Crucifixoribus Christo Redemptori nostro in faciem dicta fuisse viri contemplativi, verisimiliter imaginantur, & concionatores verbi Dei utiliter illa populo referunt. Qua, & si nulla auctoritate, aut valida ratione probari queant, non tamen ideo sunt temeraria dicenda: quia magna verisimilitudine roborantur, & non sine utilitate referuntur. Si tamen omni careant verisimilitudine, quantumlibet illa proficere sperent, temeraria merito censebuntur, & velut talia prohiberi debent ab his, ad quos hoc facere spectat. Quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona: neque Deus indiget mendacio nostro.

Propositio schismatica, & seditiosa est: quæ unionem membrorum Ecclesiæ, aut universaliter, aut particulariter quomodolibet tollit: cujusmodi sunt hæ propositiones, quæ sequuntur.

Episcopus non est simplici Sacerdote superior.

Papa non est superior cæteris Episcopis.

Malo prælato non est obediendum.

Per peccatum mortale omnis potestas amittitur.

Subditi possunt dominos suos, cum aliquod crimen commiserint, pro libito suo corrigere, & punire.

Propositio injuriosa est, quæ alicui fidelium statui, vel alicui illustri personæ detrahit. Tales sunt multæ assertiones Joannis Uviclefi, & Joannis Hus, quæ in Concilio Constantiensi sessione octava, & quintadecima damnatæ sunt: E quibus sunt istæ, quæ sequuntur.

Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.

Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.

Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosinas sunt excommunicati.

Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ.

Papa est Antichristus.

Cardinales sunt Ministri Antichristi.

Omnes istæ propositiones, sunt injuriosæ dicendæ, eo quod apertissimas, statibus, aut illustribus personis inferunt injurias. Cum jam de omni genere propositionum damnabilium disseruerim, operæpretium fore existimavi admonere lectorem, ne ista propositionum genera sic putet esse ab invicem distincta, & separata, ut uni & eidem assertioni convenire non possint. Potest siquidem eadem assertio multis ex his, quas modo explicuimus, notis maculari. Nam hæc propositio, quæ una est ex pestiferis Joannis Uviclefi assertionibus: Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana, est hæretica, scandalosa, temeraria, schismatica, & injuriosa. Hæretica est: quia contra universalis Ecclesiæ definitionem sentit. Scandalosa, quia homines ab ingressu Religionum avertit, & professis, ut vota, quæ domino voverunt, non reddant, suadet. Temeraria dicetur, quia nulla prorsus ratione, aut authoritate fulcitur: sed omnium sanctorum virorum turbæ contradicit. Schismatica ideo merito censenda est: quia Ecclesiæ unitatem dividit, cum Religiosos ab illa separat. Quod autem omnibus Religionibus, & illarum Religiosis sit injuriosa, adeo est apertum, ut nullus merito dubitare possit.

CAPUT IV.

De multiplici via, per quam convinci potest aliquam propositionem esse hæreticam.

Quamvis de hæretica propositione satis, ut existimo, disseruerim, ut tamen rem plene absolverem, necessarium fore judicavi, vias ostendere, per quas propositio aliquá possit apertissime de hæresi convinci, ne forte in damnatione propositionis alicujus, judices, quibus hoc agere incumbit, sententiam pervertant, propositionem aliquam velut hæreticam damnantes quæ talis merito dici non posset, aut Catholicam dicentes, quæ velut hæretica damnanda erat. A multis enim non solum idiotis, & ignorantibus: sed viris etiam alioqui doctis, hac in parte erratum est, cum multas propositiones in suis scriptis velut hæreticas diffamaverunt, quæ nihil minus, quam hæreticæ dici merebantur. Nam (ut de aliis taceam) multas assertiones hæreseos nota maculavit in suo illo opere de Hæresibus, Philaster Brisiensis Episcopus, de quo Augustinus mentionem facit in lib. de Hæresibus, ad quod vult Deum, quæ tamen pro Catholicis nunc ab omnibus defenduntur. Multas etiam illic, tamquam Catholicas, nobis proponit assertiones, quas nos in eo opere, quod adversus omnes hæreses, edidimus, inter hæreses non immeritò recensuimus. Ne igitur simile quid aliis contingat, plures vias, easque certas, & indubitatas, nunc ostendere decrevi: per quas propositio aliqua de hæresi convinci possit. Ex quibus apertissime constabit propositionem illam non esse hæreticam dicendam, quæ aliquo istorum modorum, quos statim explicabimus, non potuerit de falsitate convinci.

Prima via, & omnium potissima, est Sacra Scriptura. Quoniam omnis, qui se Christianum fatetur, tenetur firmissime credere vera esse omnia, quæ nos Sacra Scriptura docet: & nefas est de illis quomodolibet dubitare. Quoniam alias Deus, qui illarum omnium primus creditur auctor, suspectus de mendacio haberetur: quod Christianæ aures audire horrent. Unde Augustinus in

in Epistola ad Hieronymum, quæ est decimanona in Ordine suarum Epistolarum, ita ait: „ Ego enim fateor „ charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui jam „ canonici appellantur, didici hunc timorem, honorem- „ que deferre, ut nullum eorum Autorem scribendo „ aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis „ offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, „ nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel „ interpretem non assequutum esse, quod dictum est: „ vel me minime intellexisse non ambigam." Hæc Augustinus. Et habentur hæc verba in volumine Decretorum in capit. Ego solis. Distinct. 9. Quamquam illic mendose Augustini verba citantur, propter quod moneo lectorem, ut quæ in Decreto ibidem citantur, ad hoc exemplar corrigat. Cum ergo omnia, quæ nobis Sacra Scriptura credenda proponit, firmissime credere teneamur, consequens est, ut quicquid illis repugnaverit, hæreticum sit merito censendum. Maxime tamen hac in re considerare oportet, ut testimonium Sacræ Scripturæ, quo propositio aliqua est de hæresi convincenda, sit ita apertum, & indubitatum, ut nullus ex sacris & probatis Doctoribus illud in aliquo alio sensu interpretetur, juxta quem non possit talis propositio, per illud, de hæresi convinci. Sæpe enim contingit, ut inter Doctores Sacros non conveniat de sensu alicujus loci Sacræ Scripturæ: sed longissime unus ab alio distet, eruendo illius loci sensum. Tunc igitur licet sensus quem unus aut alter ex Sacris Doctoribus reddit illi loco Sacræ Scripturæ, apertissime pugnet cum aliqua propositione, non erit statim talis propositio censenda hæretica, si constet locum illum Sacræ Scripturæ, aliter ab aliis Sacris Doctoribus fuisse declaratum: ita ut juxta illorum sensum, locus ille Sacræ Scripturæ non pugnet cum tali propositione. Nam cum variæ sint illius loci propositiones, sæpe evenit, ut incertum nobis sit, quam illarum necessario tenere debeamus: & inde consequitur, ut nulla illarum sit sufficiens, ad dogma aliquod stabiliendum, aut hæresim convincendam. Certum enim, & manifestum debet esse scripturæ testimonium, quod propositionem aliquam debet expugnare, atque de hæresi convincere. Unde Augustinus in libro contra Epistolam Petiliani, de unitate Ecclesiæ, respondens quibusdam scripturæ testimoniis, quibus Donatistæ hæretici conabantur probare apud illos solos esse Ecclesiam: Hæc capite 19. ait: Quod si ambigue posita, & pro nobis possent interpretari, nihil utique adjuvarent causam vestram. Quia & nos si talibus uti vellemus, innumerabilibus uteremur, quæ causam nostram nihil similiter adjuvarent. Hæc Augustinus. Illa igitur propositio, quæ Scripturæ Sacræ, juxta sensum ab Ecclesia Catholica receptum, contradicit, est citra omnem controversiam, hæretica censenda. Neque curandum est, an aperte contradicat, an latenter: quoniam quocumque modo repugnare constiterit, propositio illa, sic cum Scriptura Sacra pugnans, erit merito de hæresi notanda. Sunt enim aliquæ hæreses, quarum contrariæ, aut contradictoriæ sunt expressæ in Sacra Scriptura, & hujusmodi propositiones sunt, quæ aperte contra Sacram Scripturam pugnant. Ut (gratia exempli) quod Christus non est Deus. Quod tres personæ non sunt una essentia: illarum contradictoriæ sunt expressæ in Sacra Scriptura. Sunt etiam aliæ hæreses, quarum contrariæ aut contradictoriæ, licet non sic exprimuntur in sacris literis, ut sub illo verborum tenore ibidem habentur, tamen ex illis, quæ Sacra Scriptura docet, evidentissima consequentia inferuntur tales contrariæ, aut contradictoriæ, & tales assertiones latenter pugnant contra Sacram Scripturam: quia scriptura repugnant contra illa, quæ ab illis necessario derivantur. Et tales propositiones sunt etiam hæreticæ censendæ, perinde ac primæ: quoniam ea, quæ ex contentis in Sacra Scriptura, necessaria consequentia inferuntur, tantam habent veritatis firmitatem, & fidei necessitatem, quantam illa, ex quibus colliguntur. Verbi gratia, istæ propositiones: Deitas est mortua in passione Christi. Christus non est simul Deus, & homo. Hæreticæ dicuntur, & sunt: quia licet illarum oppositæ, sub illo verborum tenore, in sacris litteris non inveniantur. Ex illis tamen, quæ in sacris litteris continentur, evidenti consequentia deducuntur. Hanc sententiam docet Gregorius Nazianzenus, lib. 5. de Theologia, sic inquiens: Quæ colliguntur ex Scripturis Sacris perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent. Hæc Gregorius. Juxta hanc regulam multi Sacri Doctores asserunt, & constantissime prædicant tamquam necessario credenda: quia ex dictis Sacræ Scripturæ colliguntur, quamvis in illa non reperiantur. Unde Origenes super 25. caput Matthæi, ait: Scriptum est Christum propter esurientes: & sitientes dixisse: Esurivi & sitivi. Et propter nudos, & peregrinos, & ægrotantes, & in carcere positos: Nudus fui, & hospes fui, & infirmus fui. Secundum consequentiam similitudinis addamus & nos: Injurias passus sum, cæsus sum, & tentatus sum, & omnia. Et sicut in illis, quæ scripta sunt, verus est sermo Domini, dicentis: Quandiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis: Sic cum injuriam passus fuerit justus, velut blasphematus, vel aliud tale passus, pone Christum in eos, qui fecerunt, dicentem eis. Quando uni ex minimis istis fecistis injuriam, me tentastis, me blasphemastis. Hæc Origines. Hic tamen summe advertere oportebit, ut quisque in hujusmodi deductionibus, optime, & evidenter colligat: quoniam si consequentia non sit evidens, sed dubia, non erit etiam evidens propositionem, quæ cum Sacra Scriptura in faciem pugnare videtur, esse hæreticam. Et certe ex errore hujusmodi consequentiæ, multi decepti sunt, in plurimos lapsi errores. Plærique enim fuere, ut unum è multis exemplum proponam, qui vitia aliqua, aut laudare, aut saltem excusare conati sunt: hac sola ratione moti, quod illa perpetrata fuisse à viris alioqui justis, sacra narrat scriptura. Putarunt quidem necessario consequens esse, ut omne opus illud censendum sit bonum, quod ab homine in Scripturis Sacris laudato patratum esse constiterit: aut è contrario, ut opus illud malum æstimetur, quod ab homine malo scriptura factum esse refert. Judith à mendacio excusare conantur, quia multas alias illius virtutes Scriptura Sacra commemorat. Eadem ratione Loth ab ebrietate, & incestu eripere laborant. Hoc eodem argumento, Faustus Manichæus olim Sacram Scripturam de falsitate arguebat, quia aliqua mala opera narrat ipsa scriptura, ab hominibus alioqui justis fuisse facta. Fuisset quidem illa collectio bona, & argumentatio valida, si verum esse constaret, quod qui semel justus est, ut Pelagius, & post illum Lutherus dixit, male agere non posset, aut qui semel malus est, numquam posset postea resipiscere ad bonum. Cum autem hæc sententia falsissima sit, constat male colligi, quod opus aliquod sit bonum, ex hoc, quod operator illius fuit bonus, aut quod sit malum: quia ab homine ma-

malo fuit factum. Ideo Beatus Augustinus, lib. 22. contra Faustum Manichæum respondens hujusmodi argutiosis ejusdem Fausti calumniis, cap. 60. hæc ait: Cum hominis ejusdem & recte factum, & peccatum scriptum invenimus, aliud insinuatur imitandum, aliud præcavendum. Hæc ille. Et rursum cap. 62. ejusdem libri, disputans de fornicatione Judæ, qui cum Thamar nuru sua coivit, ait: Quod ita nobis Faustus, vel ipsa Manichæa perversitas arbitratur adversum, quasi nobis in illius scripturæ veneratione dignoque preconio vitia hominum, quæ illa commemorat, necesse sit approbare: quin potius necesse est, ut quanto illam Religiosius accipimus, tanto fidentius illa culpemus, quæ per ejus veritatem certius culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio, & omnis illicitus concubitus jure divino damnatur, ac per hoc cum talia quorumdam facta commemorat, de quibus eo loco suam taceat sententiam, judicanda nobis permittit, non laudanda præscribit. Et iterum cap. 65. ejusdem libri ait: Inaniter ergo Faustus in seipsum potius dente sacrilego sæviens, Sanctam Scripturam, quam totus jam mundus merito veneratur, accusat: quæ ut supra dixi, tamquam speculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam personam, sed & laudanda, & vituperanda hominum facta, vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit: nec solum homines ipsos, vel vituperabiles, vel laudabiles intimans, verum etiam quædam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus vituperanda non tacens. Neque enim quia vituperabilis homo erat Saul, (1. *Reg.* 14.) ideo non est laudabile factum ejus, quod gustatum de anathemate tam diligenter scrutatus, tam severe vindicare conatus est, obediens Deo, qui hoc fieri prohibuerat: (*Deut.* 18.) vel quod Pythones, & ventriloquos de Regno suo delevit. (1. *Reg.* 28.) Aut quia laudabilis erat David, ideo peccata ejus, quæ Deus quoque arguit per Prophetam, vel approbanda, vel imitanda sunt. (2. *Reg.* 12.) Sicut nec in Pontio Pilato vituperandum est, quod adversus accusationes Judæorum, innocentem Dominum judicavit. (*Matth.* 27.) Neque in Petro laudandum est, quod eumdem Dominum ter negavit: (*Matth.* 26.) vel unde ab ipso Satanas appellatus est, (*Matth.* 16.) quod non sapiendo, quæ Dei sunt, eum voluit à passione, hoc est, à nostra salute, revocare: Paulo ante ergo dictus est Beatus, paullo post dictus est Satanas. Sed quid in illo obtinuerit Apostolatus ejus, & martyrii corona testatur. Hactenus Augustinus. Ex his omnibus constat, propositionem aliquam non esse statim dicendam hæreticam, propterea quod pugnet cum eo, quod ex Sacra Scriptura deduci videtur: sed antequam sententiam dicamus, oportet diligenter scrutari, an id, cum quo talis propositio pugnat, bene ex Sacra Scriptura colligatur, an male. Si consequentia est bona, talis propositio merito censebitur hæretica. Si vero consequentia mala, non judicabitur propter talem consequentiam, hæretica illa propositio. Erit tamen de hæresi suspecta, quousque de consequentia constet, necessaria sit, an non.

Prima igitur via, & (ut diximus) omnium potissima qua propositionem aliquam de hæresi convincere possumus, sacra est scriptura. Hæc est enim *turris illa David, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium*: (*Cant.* 4.) quoniam ex ea summenda sunt arma, quibus contra hostes fidei Catholicæ pugnare debemus. Hæc est etiam torrens ille unde David lapides sumpsit, quibus superbum Goliath acerbissimum Israelis hostem prostravit. (1. *Reg.* 17.) Unde Paulus in posteriore Epistola ad 2. Tim. 3. ait: *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Hic tamen admonendus est lector, ne putet sacræ scripturæ verba, juxta omnem illorum sensum, esse efficacia ad hæreses confutandas: quoniam nisi in sensu literali sumantur, parum roboris habent ad disputationem. Sensus mysticus non est validus ad hæreticos convincendos: sed solus litteralis. Et ideo cum Petilianus donatistarum Episcopus vellet probare in sola ea parte Africæ, quæ Donatistas alebat, esse veram Ecclesiam, & pro hac sententia adduceret illud Canticorum 1. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Respondens illi Augustinus in libro de unitate Ecclesiæ cap. 19. hæc ait: Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, quod interprete non egeat, flagitamus. Hæc ille. Et in Epistola ad Vincentium Donatistam, quæ est in ordine 48. iterum ait: Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum, pro se interpretari, nisi habeat & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura? Hæc Augustinus. Ex quibus verbis aperte convincitur aliquos viros Catholicos, qui contra hæreticos negantes confessionem sacramentalem, esse de jure divino, disputant, imprudenter agere: quum illos convincere nituntur per illud, quod Christus Leprosis dixit: *Ite ostendite vos sacerdotibus*, aut per illud, quod de Lazaro loquens, Apostolis dixit: *solvite illum, & sinite abire.* Bona quidem sunt ista, & utilia ad confirmandos fideles: sunt tamen parum efficacia ad convincendum infideles: quia mystica sunt, & dubia. Si tamen sensus mysticus talis esset, ut per alia scripturæ testimonia probari posset, illum esse verum illius litteræ sensum, tunc talis sensus, ut Augustinus in verbis proxime citatis docuit, efficax erit ad dogma stabiliendum, & hæresim convincendam. De qua re non est opus nunc longius differere: quia in eo opere, quod adversus omnes hæreses edidi l. 1. cap. 3. satis me dixisse memini: & in alio opere, quod nunc paro de recta & germana sacræ scripturæ intelligentia, multo copiosius, Deo duce, me dicturum spero.

Secunda via, per quam propositio aliqua potest de hæresi convinci, est Concilii Generalis recte (ut decet) congregato definitio. Concilia siquidem generalia errare non possunt: cum à Spiritu Sancto, qui illis semper assistit, regantur. Quo fit, ut illis, quæ à Generali Concilio recte congregato decreta sunt, & quæ ex hujusmodi decretis consequentia necessaria deducuntur, plenam teneamur præstare fidem, etiam si apertis scripturæ sacræ testimoniis illa probari non possunt. Omnis igitur propositio asserens aliquid, contra alicujus probati Concilii definitionem, aut contra illud, quod evidenti, & necessaria consequentia ex Concilii decreto colligitur, erit merito hæreseos nota maculanda, & ad illius redargutionem satis est probati Concilii definitio: etiam si apertum sacræ scripturæ testimonium contra illam desit. Per hanc viam multæ propositiones de hæresi convincuntur, quæ subtractis Conciliorum definitionibus, minime, aut difficilime possent hæreticæ demonstrari. Ne autem quis mihi in hac parte, ob exemplorum defectum, fidem deroget, aliquas propositiones subjungam, quæ nisi Conciliorum auctoritate, vix possent á gremio fidei Catholicæ rejici.

Substantia panis materialis, & substantia vini materialis sunt realiter in Sacramento Altaris.

Po-

Populares possunt ad arbitrium suum dominos delin- A quentes corrigere.

Omnes sunt symoniaci, qui se obligant orare pro aliis, in temporalibus subvenientibus.

Oratio privati hominis nulli prodest.

Anima rationalis non est vere, & per se forma corporis humani.

Epistola ad Hæbreos non est Pauli.

Epistola prima ex septem canonicis non est Jacobi.

Omnes istæ propositiones sunt hæreticæ, illarum tamen error vix aliunde posset demonstrari, quam ex conciliorum auctoritate, quatuor primæ damnatæ sunt in Concilio Constantiensi, sessione octava. Quinta damnata, est in Concilio Viennensi, sub Clemente hujus nominis quinto Summo Pontifice, cujus decretum habetur in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica. B Duæ ultimæ per multa concilia damnatæ sunt.

Tertia via, per quam possumus assertionem aliquam de hæresi convincere, est universalis Ecclesiæ consensus, sine alicujus scripturæ sacræ testimonio, & sine alicujus generalis Concilii definitione. Multa enim sunt, quæ & si in scriptura sacra non contineantur: quia tamen antiquissima Ecclesiæ consuetudine servata sunt, vim habent non parvam ad hæreses confutandas: Quoniam credi par est, illa ab ipso Christo Salvatore nostro fuisse derivata: & inde ex ore in os ad nostra sæcula pervenisse. Nam idem de Archippo, & Lysiade Pythagoricis Philosophis fertur, qui Thebis in Græcia scholas habentes, Pythagorica dogmata solo verbo tradebant, quæ discipuli memoriter retinentes, ingenio, & memoria pro C libris utebantur. Christum nihil scripsisse, quod permanserit legimus: sed solo verbo docuisse, cujus verba, & præcepta non omnia Evangelistæ scripserunt: sed eorum aliqua memoriter conservata sunt, & ex ore in os transfusa ad nos pervenerunt. Quæ autem sic servata sunt, firmissimam habent veritatis certitudinem: perinde ac si per scripturam fuissent traditæ. Nam sicut Deus, Spiritu suo divino adflavit Evangelistas, aut alios sacros scriptores, cum aliquid scripserunt: ita adflat Ecclesiam eodem Spiritu, cum aliquid illa nobis loquitur. Christus siquidem Apostolis suis ait: (*Matth.* 10.) *Non estis vos, qui loquimini: sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* D Non est enim credendum, Deum Ecclesiam suam destituisse jam Spiritu suo, ut jam per os illius loqui dedignetur, prout ante faciebat: præsertim cum ipse dicat: (*Matth.* 28.) *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Sicut ergo credimus scripturæ divinæ per manus Apostolorum, & Evangelistarum scriptæ: ita etiam credere tenemur voci divinæ, per os Ecclesiæ prolatæ. Nam sicut non omnia, quæ Christus fecit (ut Joannes Evangelista cap. 20. testatur) scripta sunt; ita neque omnia, quæ dixit. Istorum autem sive factorum, sive dictorum Christi, quæ scripta non sunt, multa credendum est Apostolos aliis verbo narrasse, atque ita ex ore in os, & ex pectore in pectus transfusa ad nos usque pervenisse, sine alio quovis scripturæ testimonio. Talia sunt ferme omnia, quæ ad ritum sacramentorum exercendo- E rum Catholica servat Ecclesia: qui ritus, quamvis in sacra scriptura non sint expressi, illos tamen rejicere non licet: quoniam aut omnes illi, aut major illorum pars ab ipso Christo, illorum institutore, processit, & ex ore in os prodiens, ad nos usque pervenit. Quo fit, ut si quid contra hæc, quæ usque ad hæc tempora sic servavit, & docuit Ecclesia, aliquid doceatur, illud sit merito hæreticum censendum. Unde Origenes, Homilia quinta super librum Numerorum, ait: „ In Ecclesiasti„ cis observationibus, sunt nonnulla, quæ omnibus qui„ dem facere necesse est: nec tamen ratio eorum omni„ bus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus „ orantes, & quod ex omnibus cœli plagis, ad solam „ Orientis partem conversi orationem fundimus, non fa„ cile puto cuiquam ratione compertum. Sed & Eucha„ ristiæ, sive percipiendæ, sive eo ritu, quo geritur ex„ plicandæ, vel eorum, quæ geruntur in baptismo ver„ borum, gestorumque, & ordinum, atque interroga„ tionum, ac responsionum, quis facile explicet ratio„ nem? Et tamen omnia hæc operta, & velata porta„ mus super humeros nostros: quum ita implemus ea, „ & exequimur, ut á magno Pontifice, & ejus filiis „ tradita commendata, suscepimus.“ Hactenus Origenes. Præterea ille verborum contextus, & ordo, quo Catholica utitur Ecclesia in consecratione corporis, & sanguinis Christi, apud nullum Evangelistarum plene reperitur: nephas tamen esset credere aliis verbis Sacramentum illud esse conficiendum, quam quibus nunc conficit Ecclesia. Quoniam talia verba, quibus nunc utitur Ecclesia, ab ipso Christo (ut credimus) processerunt. Hoc enim Innocentius Papa, hujus nominis Tertius fatetur, sic inquiens: „ Credimus igitur, quod formam „ verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apos„ toli, & ab ipsis eorum acceperint successores. Hæc In„ nocentius & habentur hæc verba in volumine decre„ talium, titulo de celebratione Missarum, cap. Cum „ Marthæ. Certissima igitur via, & validissimum argu„ mentum ad convincendum aliquam propositionem esse „ hæreticam, est Ecclesiæ universalis consensus: ita ut „ illa propositio dicatur hæretica, quæ est contra univer„ salem Ecclesiæ consensum: quamvis nullum sit scriptu„ ræ testimonium, quo possit talis propositio convinci. „ Unde Sapiens in proverbiis, ait: (*Prover.* 6.) *Ne* „ *dimittas legem matris tuæ.* Hæc tertia via ad convincen„ das hæreses, definita est in Concilio Tridentino, sub „ Paulo Tertio celebrato, quod in sessione tertia decla„ ravit, veritatem fidei contineri, partim in libris scrip„ tis, & partim in traditionibus: & postquam recensuit „ libros omnes sacræ scripturæ, in quibus veritas fidei „ continetur, hæc quæ sequuntur, ait: Si quis autem „ libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout „ in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri „ vulgata Latina æditione habentur, pro sacris & ca„ nonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, „ & prudens contempserit, Anathema sit.

Quarta via est, judicium Sedis Apostolicæ: quoniam hæc circa illa, quæ fidem spectant, errare non potest. Sed circa hoc admonere decrevi lectorem, quid per nomen Sedis Apostolicæ intelligere debeat: quoniam hoc nomine, non ipsa sola Papæ persona intelligitur: quoniam illa errare potest, ut homo, male sentiendo, & male opinando: sicut de multis Summis Pontificibus historiæ referunt illos errasse. Nam (ut de cæteris taceam) Honorius primus, damnatus est in sexta synodo, eo quod Monothelitarum hæresi faveret. Nomen Sedis Apostolicæ significat ipsum Summum Pontificem, non ut facit aliquid, tamquam privata persona: sed ut facit ea, quæ ad cathedram spectant, non ex suo tantum consilio procedens: sed ex consilio bonorum virorum, & doctorum. Hoc modo capitur nomen Sedis Apostolicæ, quotiescumque in decretis, aut alibi legitur, Apostolicam Se-

Sedem non posse errare in fide. Unde Agatho Papa, ait: A Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius divina voce Petri firmatæ. Hæc ille: & habentur in capite: Sic. dist. 19. Quæ verba exponens Archidiaconus, super decreto ita ait: Caute dicit Apostolicæ Sedis, & non dicit Apostolici. Hæc ille. Sedis ergo Apostolicæ sanctiones, sive sententia in judicio prolata à Romano Pontifice, intelligitur non, quæ occulte, malitiose, inconsulte per solum Romanum Pontificem, aut etiam quæ per ipsum, cum paucis sibi faventibus, aliis in fraudem contemptis, sive non vocatis, profertur: sed quæ à Romano Pontifice, ex consilio plurimorum virorum sapientium, præsertim Dominorum Cardinalium, plene prius examinata profertur. Quali autem examine Apostolicæ Sedis sententia sit discutienda, antequam proferatur: Beatus Gregorius declarat, sic in in- B quiens: „ Apostolicæ Sedis sententia, tanta semper consi„ lii moderatione concipitur, tanta potentia, & maturi„ tate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate pro„ fertur, ut nec immutari necessarium duat, nisi for„ te sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutari, si „ secundum tenorem præmissæ conditionis existat.“ Hæc Gregorius. Et habentur hæc verba in decreto, 35. quæst. 9. cap. Apostoli. Sic igitur accipiendo nomen Sedis Apostolicæ: credo illam in fide errare non posse, & illius sanctiones esse prorsus indeviabiles, non quidem ratione personæ, à qua procedunt; quoniam cum homo sit, consequens erat, ut errare posset: sed ratione cathedræ, quam regit, & moderatur. Nam personæ aliqui indignæ Deus dona gratiarum impartiri solet: propter officium, quod administrat. Nam (ut de aliis taceam) C Cayphæ propter pontificiam dignitatem, qua honestatus erat, datum est de humani generis redemptione, per Christi mortem facienda, prophetare. (*Joan.* 11.) Multo ergo magis dignum erat, ut illi, qui totius Ecclesiæ est pastor, & rector, Deus veritatis indeviabilis privilegium concederet. Sic enim Christus se facturum promisit, dicens: (*Luc.* 22.) *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quomodo autem deficiet Petri, hoc est, Apostolicæ Sedis fides, illo pro ea rogante, qui semper exauditur? Aut quomodo eves errantes reducere posset, aut vacillantes confirmare, si illarum pastor, & rector erraret, perinde ac illæ? Ideo beatus Leo, in sermone secundo suæ ordinationis, hanc Christi promissionem pertractans, ait: „ Specialis cura à Domino Petri susci„ pitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam „ aliorum status certior sit futurus: si mens Principis vic- D „ ta non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, „ & divinæ gratiæ ita roboratur auxilium, ut firmitas, „ quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apos„ tolis conferatur.“ Hæc Beatissimus Leo Papa. Si quando forte aliquis Romanus Pontifex in definitione fidei erravit, inde evenire potuit, quod non tantam, quantam debebat, adhibuit diligentiam, antequam sententiam proferret: quoniam vel rem non plene (ut decebat) examinavit, vel non eos, quos oportebat, consuluit. Eo enim eventu erravit, ut particularis persona, non ut Cathedræ moderator, & rector. Erravit tunc homo, qui in sede Apostolica erat, sed non erravit sedes Apostolica: quoniam sedes Apostolica (ut supra ex E Beato Gregorio ostendimus) nihil sine maturo examine judicat. Cum autem sic judicat, errare illa non potest: quia Deus in medio illius existit, ne à vera fide moveatur. Cum igitur hoc privilegio Deus Apostolicam sedem donavit, ut errare illa non possit, consequens est, ut iis, quæ ab illa maturo examine præhabito in rebus fidei definita, & judicata sunt, omnes credere teneantur: & si quid contra illa pertinaciter asseratur, hæreticum sit necessario judicandum. Unde Beatus Hieronymus Damaso Papæ scribens ait: „ Hæc est fides, Papa „ Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, „ quamque semper tenuimus, in qua si minus perite, „ aut parum caute forte aliquid positum est, à te emen„ dari cupimus, qui Petri, & sedem, & fidem tenes. „ Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio „ comprobatur, quicumque me inculpare voluerit, se „ imperitum, & malevolum, vel non etiam Catholicum, „ sed hæreticum comprobabit.“ Hæc Hieronymus. Per B hanc viam convincimus has propositiones esse hæreticas.

Confessio sacramentalis est solum de jure humano.

Animæ justorum in gratia decedentium, non vident clare essentiam divinam ante diem judicii.

Hæ duæ propositiones, tamquam hæreticas, Catholica rejicit Ecclesia: illarum tamen error non tam facile aliunde posset evidenter demonstrari, sicut ex Romanorum Pontificum determinationibus. Nam primam damnavit Sixtus quartus, cujus decretum ego inserui in eo opere, quod adversus omnes hæreses edidi: titulo de Confessione. Secundam damnavit Benedictus decimus & illius decretum positum est in eodem opere, titulo Beatitudine, hæresi sexta.

Quinta via, per quam possumus convincere assertionem aliquam esse hæreticam, est omnium Sacrorum Doctorum, qui de re illa scripserunt contra illam propositio- C nem, concors sententia. Nam id, quod contra omnium talium sententiam assertum fuerit, hæreticum esse constabit. Et hoc aperte docet Athanasius in illa sua magnifica oratione contra idola, sic inquiens. Sententia enim à majoribus confirmata, irrefutabilem habet auctoritatem fidei. Hæc ille. Si tamen uni tantum, aut alteri Sacro Doctori contradixerit aliqua propositio, non proinde talis propositio censenda est hæretica: quoniam talium hominum scripta, quantumlibet illi sint Sancti, & Docti, non sunt velut Oracula divina, recipienda: quia non constat illa à Deo processisse: sed ab homine, qui falli potuit. Nihil autem obstat, ut eum, qui falli potuit, falsum fuisse dicamus. Neque etiam est æquum, aut rationi consentaneum: ut ei, qui & falli, & fallere potest, qualis est quisquis purus homo, sub gehennæ comminatione credere teneamur: quoniam hac ratione evenire oporteret, ut sæpissime falsa pro veris, & vera D pro falsis recipere teneremur: quod nefas est dicere. Verum & si singulorum sanctorum scripta non sint sic pro lege tenenda: ut impium sit ab illis discedere: omnium tamen Sacrorum Doctorum de rebus fidei concors sententia, cui numquam ab Ecclesia, aut ab illis viris Catholicis impune contradictum est, pro vera Ecclesiæ definitione tenenda erit. Nam (ut Beatus Paulus ait: *Eph.* 4.) ad hoc *nobis dedit Deus, quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* Si ergo ad hoc dati sunt, ut non erremus, non est possibile, ut omnes simul erraverint, qui, ut nos non erraremus, missi sunt. Præterea sacræ litteræ ad veteres Doctores nos mittunt: ut ab illis doceamur, quo fit, ut eadem lege nos illis credere teneamur. Frustra siquidem ad illos accedere juberent: nisi illorum doctrinam suscipere teneremur. Sic enim